

27/3



Johannes Georgius ab Holle.


M. d. 27  


---

2

100 Jt.

Phil. VI  
27. 33.





5  
3  
R H E T O R I C A,  
P O E T I C A,  
L O G I C A,  
A D V S V M  
R V D I O R V M I N  
E P I T O M E N R E -  
D A C T A E:

P E R

*D. Joan. Thomam Freigium.*



Cum gratia & privilegio Imperiali.

N O R I B E R G A E.

—  
c l o 1 0 x c i v .





IOAN. THO.  
MAS FREIGIVS  
LECTORIBVS S.

**V**EXOTERICARVM  
artium numerus integer no-  
stris scholis proponeretur, ex  
Philippi Melanchthonis libris  
Rhetoricis & Logicis, ac ex Horatii arte  
poëtica, materiã præceptaq; desumimus:  
eaq; nostra methodo dilucidius & brevius  
disposuimus. Nam cum Philippus, clariss.  
viri Iohannis Sturmii testimonio, parens  
fuerit nostræ ætatis multò maxima partis  
eruditorum virorum, cur ingrata qua-  
dam impietate non profiteamur, à quo  
beneficium accepit Germania? Nec verò  
necesse est hic laudatissimi viri laudatio-  
nem instituerè, cum ipse sua laude satis  
nitatur. Quem tamen si laudare hoc se-  
culo tam ingrato concessum esset, veris &  
dignis laudibus ornare fortasse possem.  
Sed, proh dolor, in ea tempora nescio quo

A 2      f. 10

P R A E F A T I O.

fato deventum est, ut hodie multò tutius sit scelera improborū imitari, quàm virtutem bonorum laudare. Et quanquam cupienti mihi nunquã Philippum videre contigit: gratum tamen est popularem, imo civem & meae familiae conjunctissimum habuisse Jacobum Milichium, qui Philippo familiarissimus extitit. Omissa itaq; Philippi laude, illud tantum hîc testatum volumus, nos hac epitome non id agere, ut Philippi libros è manibus studiosorum excutiamus, quod absit: sed potius ut ad eos diligenter legendos, eosdem excitemus. Quod ipsum nulla ratione facilius fieri potest, quàm si hac quasi  $\chi\sigma\epsilon\alpha\gamma\omega\gamma\iota\alpha$  & isagoge eos ad Philippi penetralia perducamus. Expertus enim loquor, & cum dolore significo, multos me deprehendisse è studiosis, qui cum per multos annos Philippi dialectica audissent, ultra principia tamen vix essent progressi: & cum in hortis Philippianis versari deberent, nondum tamen inter apia essent. Atque hoc primum est, quod hac nostra praefatione proponendum censuimus.

Alterum est, ut moneamus, quos libellos



P R A E F A T I O.

bellos ad usum & exercitium horum præceptorum assumendos putemus. Cum Rhetorica igitur tres Ciceronis orationes omnino conjungendas puto, quæ tribus generibus causarum respondeant: quales in primis utiles sunt tres illæ, prima pro Quintio, secunda pro Milone, quæ in genere judiciali: & tertia pro lege Manilia, quæ in deliberatione & laude versatur. Ut scilicet studiosi Rhetorices, exemplis tribus illustribus præcepta Rhetoricæ clariss. intelligant. Nec à rhetorica auscultatione auditorem dimittendum censeo, qui non tres illas orationes optimè intelligat, & si fieri possit, etiam memoria teneat. Ad poëticam exercendam ex Ovidio elegias aliquot easq; præstantiores subduci velim, easque itidem in certa genera redactas, in qualia epistolas Ciceronis in Grammatica Latina redelegimus. Sic hortatoria seu suasoria est lib. 3. tristium elegia 4. & 7. & lib. 5. eleg. 15. Responsoria ad hortationem est lib. 5. trist. 13. Consolatoria est lib. 5. trist. 12. Petitioria est lib. 1. trist. 2. lib. 3. trist. 8. lib. 3. trist. 14. Mandatoria est lib. 1. trist. 1. Laudatoria

A 3                    toria

P R A E F A T I O.

toria est lib. 1. trist. 5. lib. 3. trist. 5. & 6. Ex-  
 postulatoria est lib. 1. trist. 7. lib. 3. trist. 11.  
 lib. 5. trist. 9. Purgatoria & excusatoria  
 lib. 4. trist. 1. & lib. 4. trist. 6. Objurgatoria  
 lib. 5. trist. 14. Gratiarum actio lib. 1. trist.  
 4. Officiosa lib. 3. de ponto 8.

Cum Logica verò conjungi paradoxa  
 Ciceronis cupio. Ex illorum enim brevi-  
 bus & facilibus exemplis logica optimè  
 cognoscitur, cognitaque facillimè exerce-  
 tur: & Talaus quidem in Ethicis ac Po-  
 liticis argumentis proponendis & excu-  
 tiendis, Ciceronem feliciter imitatus est.  
 His autem adjici velim Ciceronis lib. pri-  
 mum Tusculanarum questionum, dialo-  
 gum de amicitia & senectute.

Ad extremum rogo candidos lectores,  
 ut si quos errores in his libris Grammati-  
 cis, Logicis, Rhetoricis, Poëticis deprehen-  
 derint, comiter & candidè emendent: &  
 eos aut occupationibus aliis, aut festina-  
 tioni meae, aut si durius non possunt me-  
 cum non agere, incogitantia asscribant,  
 & voluntatem de singulis bene merendi  
 boni consulant, ubi eventus non respon-  
 dit. Bene valete.

T Y P V S

# TYPVS RHETORICAE.





# DE RHETORICA.

## *Quid est Rhetorica?*

Est ars bene dicendi. Benè enim dicere finis est Rhetoricæ.

### *Quot sunt partes Rhetoricæ?*

Vulgo numerantur quinque: Inventio, Dispositio, Elocutio, Pronunciatio, Memoria.

## DE INVENTIONE.

### *Quid est Inventio?*

Est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant. Et versatur circa Locos.

### *Ad quid utiles sunt Loci?*

Ad fidem & Motum sunt comparati.

### *Quotuplices sunt loci ad fidem comparati?*

Duplices. Proprii & Communes.

### *Quinam sunt proprii?*

Qui singulis causarum generibus serviunt.

### *Quot sunt genera Causarum?*

Tria. Iudiciale, Deliberativum & Demonstrativum.

DE

DE RHETORICA.  
DE GENERE IUDICIALI.

*Quid est genus Iudiciale?*

Quod positum in controversia, habet accusationem, aut petitionem cum defensione. Tractat enim controversias forenses. Nam veteres præcipuè ideò excogitaverunt Rhetoricen, ut præpararent adolescentes ad forū.

*Quot sunt in hoc genere consideranda?*

Duo. Partes orationis & Status.

*Quot sunt partes orationis?*

Sex. Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

*Quid est Exordium?*

Est principium orationis, per quod animus auditoris aut iudicis constituitur vel apparatus ad audiendum.

*Quotuplex est Exordium?*

Duplex: Principium & Insinuatio.

*Quid est Principium?*

Cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum.

*Quot sunt loci Principii?*

Tres. Benevolentia, Attentio, Docilitas.

*Quot modis conciliatur Benevolentia?*

Duobus. Aut à personis, nostra, adversariorum, auditoris: Aut à rebus ipsis.

A 5

Quid

## DE RHETORICA.

### *Quid est Insinuatio?*

Quæ occultè per dissimulationem eadem conficit quæ Principium directò.

### *Quid est Narratio?*

Est rerum gestarum aut perinde ut gestarum expositio: quæ statim Exordio subicitur.

### *Quot sunt virtutes Narrationis?*

Tres. Brevitas, Diluciditas, Probabilitas.

### *Quid est Propositio?*

Quæ continet summam rei, & statim sequitur Narrationem, nec unquam omitti potest: est enim præcipua pars certaminis. Et interdum multæ propositiones ponuntur: sed ibi gradus per priores ad unam quandam principalem faciendus est. Rhetores hoc loco Partitionis mentionem faciunt: per quam aperimus quid in controversia sit, & quot de rebus dicturi simus.

### *Quid est Confirmatio?*

Est nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione.

### *Quid est Confutatio?*

Est contrariorum argumentorum dissolutio.

### *Quid est Peroratio?*

Est artificiosus terminus orationis.

*Quot*

## DE RHETORICA.

*Quot sunt loci Perorationis?*

Duo sunt: Repetitio seu Enumeratio, & Affectus.

*Quid est Enumeratio?*

Per quam colligimus & commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter & ordine.

*Quid est Affectus?*

Cum reus misericordiam, accusator odium studet inflammare. Atque hæc de partibus orationis.

## DE STATIBVS.

*Quid est Status?*

Est principalis quæstio seu propositio, quæ continet summam negotii, ad quam omnia argumenta referenda sunt, velut ad principalem conclusionem. Nulla autem pars artis magis necessaria est, quàm hæc de statibus. Nulla enim controversia intelligi potest, nisi constituatur Quæstio, quæ summam causæ compræhendat. Deinde consideranda sunt munimenta Quæstionis seu Status. Quia enim ferè quælibet controversia unum aliquem præcipuum syllogismum continet, qui maximè munit statum: is quoque Dialectico more breviter excerptus est, ut nuda ac brevia membra intuentes rectius judicare possimus. Etsi enim liberior est oratio popularis, quàm illi exiles & nuda  
syll.

## DE RHETORICA.

sylogismi, tamen membra argumentorum eadem sunt: nisi quod orator ea vestit ornatu verborum, καὶ ἔχει ἑαυτὸν ὡς ἄνθρωπος, & in disponendo liberior est. Nam aliquando ab assumptione, aliquando à complexione incipit.

*Quotuplex est Status?*

Triples. Conjecturalis, Legitimus, & Iuridicialis, juxta tres quæstiones, An sit, Quid sit, Quale sit.

I. *Quid est Status conjecturalis?*

Cum de facto controversia est: seu qui oritur ex quæstione an sit. Ut, An Roscius occiderit patrem.

*Quotuplices sunt loci Confirmationis in hoc statu?*

Duplices. Artificiales, ἐν τεχνῶν, & Inartificiales, ἀτεχνῶν.

*Quot sunt artificiales?*

Duo ex loco causarum efficientium, scilicet, Voluntas & Facultas.

*Quot sunt loci Voluntatis?*

Duo: Impulsio, & Ratiocinatio.

*Quid est impulsio?*

Quæ continet affectus. Ut, Clodius oderat Milonem: cupiebat igitur eum extinctum esse.

*Quid est Ratiocinatio?*

Cum ducitur argumentum à finali causa, aut spe commodi. Nam humanus animus pluri-



## DE RHETORICA.

plurimum movetur opinione utilitatis. Ut, Clodio profuit Milonis interitus. Clodium igitur infidias fecisse verisimile est. Ex hoc loco nata est vox Casii, cum identidem in iudicio quæredum diceret, Cui bono fuisset.

*Quid continet Facultas?*

Duo. Signa & Circumstantias.

*Quid vocas signa?*

Facta aut notas alicuius rei, quas indicat communis sensus.

*Quotuplicia sunt signa?*

Triplicia: Antecedentia, Conjuncta & Consequentia.

*Quanam sunt Circumstantia?*

Tempus, Locus, Apparatus.

*Quinam sunt loci inartificiales?*

Testes, testimonia, chirographa, confessiones.

*Quot sunt loci Confutationis in statu Conjecturali?*

Duo. Nam primò propter locum voluntatis, & facultatis inventa est Inficiatio, qua negantur illa, quæ objiciuntur. Deinde propter contrariam signorum interpretationem duo peculiare loci adduntur defensori, Inversio scilicet & Absolutio.

*Quid est Inversio?*

Cum docemus signum vel causam, contra

nos

## DE RHETORICA.

nos allatam, pro nobis facere. Si occidissem, non sepeliissem : fatius enim fuisset statim fugere.

### *Quid est Absolutio?*

Cum interpretamur signum aut causam aliter quàm adversarius. Ut: sepelii, sed misericordia motus.

### *I I. Quid est status Iuridicialis?*

Cum disputatur, utrum jure aliquid sit, an fecus: Oritur enim ex quæstione *Quale* fit. Ut, An Milo jure sit occisus.

### *Quinam sunt loci Confirmationis in hoc statu?*

Quoniam hic status versatur circa quæstionem juris (quod suscipitur impellente vel naturali jure vel scripta lege) loci sumuntur à Iureconsultis: ut sunt, Natura, Lex scripta, Consuetudo, Acquum bonum, Iudicatum, Pactum.

### *Quinam sunt Defensoris loci?*

Cum defensio per se infirma est, proprius locus datur Defensori, qui vocatur *Concessio*, cum reus non excusat factum: sed id studet mitigare.

### *Quot sunt loci Concessionis?*

Tres: *Purgatio*, *Translatio criminis*, *Deprecatio*.

### *Quid est Purgatio?*

Cum negamus dolo aut animo lædendi  
factum

## DE RHETORICA.

factum esse, sed vel errore, vel ira. Error enim excusationem habet etiam apud Iureconsultos.

### *Quid est Translatio criminis?*

Cum culpam conferimus in alios. Ut, feci iussus ab alio, feci coactus metu, qui cadit in constantem virum.

### *Quid est Deprecatio?*

Cum petimus misericordiam, & imploramus clementiam iudicis.

### III. *Quid est Status Legalis seu Legitimus?*

Cum in scripto aut ex scriptis aliquid controversiæ nascitur. Oritur enim ex quaestione Quid sit.

### *Quot sunt eius partes?*

Sex: Definitio, Antinomia seu contrariæ leges, Scriptum & sententia, Ambiguum, Ratiocinatio, Translatio.

#### I. *Quid est Definitio?*

Cum aut de vocabuli interpretatione cõtenditur, aut quid res sit explicandum est. Ut apud Ciceronem in Norbani causa discutitur, quid sit crimen læsæ maiestatis.

#### II. *Quid est Antinomia?*

Cum una lex jubet aut permittit, alia vetat fieri.

*Quos*

## DE RHETORICA.

*Quot sunt hic regulae tenendae?*

Quatuor.

- I. Lex inferior cedit superiori.
- II. Lex specialis derogat generali.
- III. Lex humana cedit divinae.
- IV. Leges veteres corriguntur aut abrogantur novis.

Videndum etiam est, an leges cum ratione consentiant: an ad casum propositum recte detorqueantur: Considerandae sunt etiam diligenter circumstantiae.

*III. Quid est controversia ex scripto & sententia?*

*Τῆς ῥητῆς καὶ Δικαιώσεως;*

Cum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire.

*Quenam regulae hic sunt tenendae?*

I. Fraus est, cum defenditur ῥητὴν contra Δικαιώσεων: ut loquuntur Iureconsulti.

II. Circumstantiae sunt diligenter excutiendae. Ex his enim saepe veniamur sententiam, & judicamus utrum scriptum & voluntas consentiant aut dissentiant. Vera enim est vox Hilarii, Circumstantiae illuminant dicta.

III. In controversiis ecclesiasticis afferenda sunt testimonia scripturae: in forensibus, leges aut bonae rationes.

*IV. Quid*

## DE RHETORICA.

### IV. *Quid est Ambiguum?*

Cum verbum aliquod generale aut ambiguum parit dissensionem.

#### *Quenam hic regula est?*

Ambigua judicantur ex Grammatica, Rhetorica, Logica, id est, ex phrasi, figuris, definitionibus.

### V. *Quid est Ratiocinatio?*

Cum res sine propria lege venit in iudicium, quæ tamen ab aliis legibus similitudinem quandam aucupatur. Tota res pendet à Dialectica: & Iureconfulti multa judicant ex similibus.

### VI. *Quid est Translatio?*

Cum non respondetur ad rem, sed opponitur exceptio aliqua, ut quòd iudex non sit competens, quòd adversario non competat actio.

## DE GENERE DELIBERATIVO.

### *Quid est Genus Deliberativum?*

Quod in consultatione positum, habet in se suasionem & dissuasionem.

#### *Quotuplices sunt loci Confirmationis in hoc genere?*

Duplices: Artificiales & Inartificiales.

B

*Quenam*

## DE RHETORICA.

*Quinam est Artificialis?*

Honestum: quod sumitur ex legibus & virtutum definitionibus.

*Quinam sunt Inartificiales?*

Vtile, Facile, Necessarium, Possibile. In his omnibus præcipuus labor est in exaggerando.

## DE GENERE DEMONSTRATIVO.

*Quid est Genus Demonstrativum?*

Quod continet laudationem aut vituperationem.

*Quotplex est laudatio aut vituperatio?*

Triplex: Personarum, Factorum & Rerum.

*Quæ partes orationis præcipuæ sunt observanda in Personarum laude?*

Duæ: Exordium & Narratio. Nam exordia in hoc genere liberiora sunt: sumuntur enim à pompa publica, effectu aliquo, querela, gratulatione &c.

*Quid est narratio huius generis?*

Est nihil aliud quàm perpetua quædam historiarum narratio, quæ continet duo, Historiarum recitationem & amplificationes.

*Quid vocas historiarum recitationem?*

Locos personarum & seriem rerum, ut  
sunt

## DE RHETORICA.

sunt patria, natales, ingenium, educatio, disciplina, doctrina, res gestæ, mors, consecuta mortem.

*Quid vocas amplificationem?*

Exaggerationem præcipuorum decorum, quæ ad admirationem & imitationem proponuntur.

*Quinam loci sunt in laude Factorum?*

Honestum, Utile, Facile, Difficile.

*Quinam sunt loci Rerum?*

Sunt iidem. Nam honestas sumitur ex causis efficientibus, videlicet ab inventori-  
bus. Utilitas sumitur ex finibus. Laudatur  
autem interdum facilitas, interdum difficul-  
tas: quod prudentiæ oratoris committitur.  
Atque hæc hætenus de locis, qui causarum  
generibus proprii sunt: sequuntur loci Com-  
munes seu *ἰσοῦς*.

*Quid est locus Communis?*

Est generalis quæstio, quæ in causa hæret,  
Rhetores vocant *ἰσοῦς*: sicut è contra specia-  
lem quæstionem vocant *ἰσοῦς*. Sunt autem  
loci communes, non solum virtutes & vitia:  
sed in omni doctrinæ genere præcipua capi-  
ta, quæ fontes & summam artis continent.  
In his duo præcipuè consideranda sunt, tra-  
ctatio scilicet & ordo, quæ petenda sunt ab  
his qui de his scripserunt. Atque hætenus

## DE RHETORICA.

de Locis ad fidem faciendam idoneis: Sequitur de Motu seu Affectibus.

*Unde oriuntur Affectus?*

Ex locis expetendorum & fugiendorum. Sic honesta & utilia merentur Amorem: turpia, damnoſaque Odium. Misericordiam movet calamitas, seu fortuna, indigna ætate, genere, virtute.

*Quotuplices sunt Affectus?*

Duplices: Leniores & Vehementiores.

*Quinam sunt Leniores?*

Τὰ ἡῆν, qui blandis verbis efferuntur, quæ significationem humanitatis atque officii præbent.

*Quinam sunt Vehementiores?*

Τὰ πάθν, qui tragicis & atrocibus verbis efferuntur ad impellendos animos, & in primis per ἰστορικώδης repræſentantur, in quibus gestus commemorantur, aut alioqui imago, in oculos incurrens, objicitur.

## DE DISPOSITIONE.

*Quid est Dispositio?*

Est ordo & distributio rerum, quæ demonstrat quid quibus in locis sit collocandum.

*Quot-*



## DE RHETORICA.

*Quottuplex est Dispositio?*

Duplex: Generalis & Specialis.

*Quid est Generalis?*

Est dispositio partium orationis: eaque vel naturalis vel artificiosa.

*Quid est Naturalis?*

Cujus ordinem ostendit natura etiam indoctis.

*Quid est Artificiosa?*

Quæ interdum ordinem partium naturalem conturbat.

*Quid est specialis dispositio?*

Est dispositio argumentationum & singularium partium orationis: quæ res non habet certas leges, partes enim syllogismorum & aliarum particularum non uno certo & perpetuo modo ab oratoribus tractantur: sed ea tamen omnia ad methodi & Syllogismi leges dialecticas sunt revocanda.

## DE ELOCUTIONE.

*Quid est Elocutio?*

Est exornatio orationis: cujus tanta est vis, ut Curio, tametsi cæteris eloquentiæ laudibus maximè nudus esset, tamen elocutionis splendore & copia, & bonitate quadam expedita, & profluente celeritate, orator proximus optimis numeratus sit.

B 3

Quoe

## DE RHETORICA.

*Quot sunt partes Elocutionis?*

Dux. Tropus & Figura.

*Quid est Tropus?*

Est elocutio, qua verbum à nativa significatione in aliam immutatur. Atque hinc prima Rhetoricæ elocutionis ὀψοποιία ἐ κόμμωσις est: hæc prima condimenta orationis sunt, primaq; medicamenta fucati ruboris & candoris.

*Quinam tropi laudantur?*

Qui significantes & grati sunt: & è propinquo sumuntur.

*Quenam cause sunt Troporum?*

Necessitas & delectatio. Illa enim tropos genuit, inopia coacta & angustus: hæc illos postea celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta est primo, post adhiberi cepta est ad ornatum etiam corporis & dignitatem: sic verbi modificatio instituta est inopiæ causa, frequentata delectationis.

*Qualis debet esse Tropus?*

Verecundus, ut deductus esse in alienum locum, non irruisse: atque ut precario, non vi venisse videatur. Nam si sit durior, Grammaticis ἀκρολογία, Rhetoribus κατάχρησις dicitur. Si vero audacior, ὑπερβολή appellatur.

*Quomodo appellatur continuatio troporum?*

Vocatur Ἀλλοθρία, id est, Inversio: quæ accidit in omnibus generibus, possunt enim  
conti-

## DE RHETORICA.

continuae metaphora, continua metonymia,  
continuae ironia &c. esse.

*Quot sunt genera troporum?*

Quatuor. Metonymia, Ironia, Metapho-  
ra, Synecdoche.

## DE METONYMIA.

*Quid est Metonymia?*

Est tropus consentanei ad consentaneum:  
ut causae ad effectum, subjecti ad adjunctum,  
& contra.

*Quanam est Metonymia causae  
efficientis?*

Cum inventor & autor pro inventis &  
effectis rebus ponitur. Ut Ceres pro frugi-  
bus, Vulcanus pro igne, Mars pro praelio, Ve-  
nus pro amore, Bacchus pro vino. Quae sim-  
plicis Metonymiae exempla sunt. Huc perti-  
net, cum scriptores pro operibus appellamus,  
ut Livius pro historia à Livio scripta. Exem-  
plum junctarum metonymiarum est il-  
lud Terentii. Sine Cerere & Baccho friget  
Venus: est enim allegoria Metonymiae.

*Quanam est Metonymia materiae?*

Cum materia pro forma ponitur. Ut aes &  
aurum pro aeneis & aureis nummis.

*Quanam est Metonymia effecti?*

Cum ex effectis efficiens significatur. Ut  
praecipites ira, quia praecipites reddit, segne  
otium, quia segnes efficit.

B 4

*Quid*

## DE RHETORICA.

### *Quid est Metonymia subjecti?*

Cum nomen proprium rei subjectæ ad significandam rem adjunctam traducitur: Vt cum ponitur.

I. Continens pro contento. Vt secula pro hominibus eius seculi. Vt seculum nostrum est pessimum.

I I. Locus pro incolis. Vt urbs pulcherrima & florentissima. Item testis est Italia, Sicilia, Gallia, Hispania, pro Italis, Siculis, Gallis, Hispanis. Item cum locus ponitur pro rebus locatis. Vt per Academiam, Lyceum, Tusculanum, intelligimus doctrinam celebratam in Academia à Platone, in Lyceo ab Aristotele, in Tusculano à Cicerone.

I I I. Possessor pro re possessa. Vt apud me est, pro domi meæ. Volo prandere apud te, pro domi tuæ.

I V. Dux pro exercitu, Vt Hannibal vicit Rom.

V. Advocatus pro cliente. Sic enim advocati personas suas pro clientum personis usurpant. †

### *Quid est Metonymia adjuncti?*

Cum ex adjunctis res subjectæ significantur. Sic nomina virtutum ipsarum pro bonis viris, & vitiorum pro malis usurpantur. Sic luxuries pro luxurioso ponitur, crudelitas pro crudeli, avaritia pro avaro. Est etiam hyperbolica Metonymia, ut oscelus, ò pestis, ò labes! Sic toga sumitur pro pace, arma pro bello.

DE

DE RHETORICA.  
DE IRONIA.

*Quid est Ironia?*

Est tropus à dissentaneo ad dissentaneum.  
εἰρωνυ cavillator, simulator, illufor. Hinc εἰρωνεία  
simulatio, illufio.

*Quis est ufus huius tropi?*

Valet ad jocandum: in eoque genere So-  
crates lepore & humanitate cæteris præstitit.

*Quomodo percipitur Ironia?*

Diffenfione vel rei vel pronunciationis,  
vel utriusque. Nam fi altera vel utraque dif-  
fentit à verbis: apparet voci mentem effe con-  
trariam.

*Quot funt genera Ironia?*

Quatuor. Sumitur enim ex Relatis, Ad-  
verfis, Privantibus & Contradicientibus.

*Quomodo ex Relatis?*

Vt fi pater filio dicat, fcilicet tu meus pa-  
ter es, ego tuus filius: ideoque parebo tibi.

*Quomodo ex Adverfis?*

Vt: Heus bone vir, curafti probè. Egre-  
giam verò laudem & fpolia ampla refertis.

*Quomodo ex Privantibus?*

Vt fi quis dicat de divite fplendido: Ho-  
mo eft ( mihi crede ) inops & obfcurus.

*Quomodo ex Contradicientibus?*

Cum quis fimulat fe nolle dicere quod di-

## DE RHETORICA.

eit. Itaque propriè appellatur ἀπόφασις, id est, negatio, & παράληψις præteritio. Vt non agam tecum summo jure: non dicam quod fortasse obtinerem.

## DE METAPHORA.

### *Quid est Metaphora?*

Est tropus, in quo ex simili significatur simile. Itaque metaphora est ad unum verbum contracta similitudo. Nullus autem est tropus florentior, aut qui plus luminis afferat orationi: quàm metaphora. Vt huic verbo (fideliter) proprium domicilium est in officio: migrationes in alienum multæ. Nam & domus & doctrina & ager & ars etiam fidelis dici potest.

### *Unde sumuntur Metaphora?*

Nihil est in rerum natura, unde similitudo duci non possit, indeque ideo & metaphora. Sumuntur enim à rebus divinis, ab elementis, ab animantibus & reliquis.

### *Quomodo à rebus divinis?*

Vt: ego patrem tuum, Deum & parentem statuo fortunæ meæ.

### *Quomodo ab elementis?*

Ab igne: ut, Omnes incenduntur ad studia gloriâ.

Ab aère: ut, Serena, nubilove frons.

Ab

## DE RHETORICA.

Ab aqua: ut, In maximis Reipub. fluctibus  
navem gubernare, non est timidi.

*Quomodo ab animantibus?*

Cicero. Latrant quidam, non loquuntur.  
Ad alicuius orationem adhinnire.

## DE SYNECDOCHE.

*Quid est Synecdoche?*

Est tropus, cum ex parte totum, aut con-  
tra ex toto pars significatur. Nam aut pars  
pro toto, aut species pro genere: aut è contra  
totum pro parte, genus pro specie sumitur.

*Quomodo fit Synecdoche partis?*

Cum ex parte totum intelligitur: Vt cum  
tectum pro domo, mucronem pro gladio su-  
mimus.

*Quomodo speciei?*

Cum ex specie genus significatur: Vt cum  
Cato pro tetrico homine sumitur: Roscius  
pro insigni artifice. Item cum singularis nu-  
merus pro plurali sumitur: ut Romanus præ-  
lio victor. Turca invasit Vngariam.

*Quomodo fit Synecdoche totius?*

Quando ex toto pars significatur: Vt, ora-  
bis terrarum ardet bello.

*Quomodo generis?*

Quando ex genere significatur species. Sic  
Poëta pro Homero aut Virgilio dicitur: ora-  
tor pro Demosthene aut Tullio. Aut plu-  
ralis

## DE RHETORICA.

ralis pro singulari: ut cum Cicero ait: Nos populo imposuimus & oratores visi sumus: Atque hæc de Tropis: prima *ἁπλοῦς* & *ἁπλοῦς* *ῥητορική* Rhetorices.

## DE FIGVRIS.

### *Quid est Figura?*

Est elocutio, qua orationis habitus à recta & simplici consuetudine mutatur. Vt enim tropus est singularum vocum, sic figura conjunctarum.

### *Unde est nomen Figura?*

Nomen figure videtur ab histrionum persona & habitu sumtum esse, qui varia orationis genera, variis corporis figuris pronuntiabant. Et sic Cicero cum Roscio mimo familiari suo certasse legitur, utrum ille sæpius eandem sententiam variis gestibus effingeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diverso pronuntiaret.

### *Quotplex est Figura?*

Duplex: Dictionis aut Sententiæ.

## DE FIGVRA DICTIONIS.

### *Quid est Figura dictionis?*

Qua elocutio figuratur dictionibus aptè & jucundè inter sese resonantibus: ita ut figura



## DE RHETORICA.

Figura dictionis nihil aliud sit quàm Numerus  
& sonus elocutionis.

*Quottuplex est Figura dictionis?*

Duplex: Est enim in sonorum aut dimen-  
sione aut repetitione.

*Quottuplex est dimensio seu Numerus?*

Duplex: Poëticus & Oratorius.

*Quid est Poëticus Numerus?*

Qui perpetuis certorum spaciorum legi-  
bus astringitur.

*Quottuplex est Numerus Poëticus?*

Duplex: Rhythmus & Metrum.

*Quid est Rhythmus?*

Est numerus poëticus, certum syllabarum  
numerum certa clausula terminatum conti-  
nens. Reimen.

*Quid est Metrum?*

Est numerus poëticus, certos pedes certis  
locis collocatos continens.

*Quid est Numerus Oratorius?*

Est numerus, non incertus ille quidem,  
sed tamen & poëtico & sibi ipsi perpetuo dis-  
similis.

*Unde ortus est hic numerus?*

Ex illo poëtico: cuius voluptatem rheto-  
res imitati sunt, cum animadvertissent popu-  
lo poë-

## DE RHETORICA.

Io poëtas placere: in orationibus autem ge-  
nus ἄπρῳθμον cum severitate audiri.

### *Quis est usus Numeri?*

Ad ornatè dicendum, non solum ne infi-  
nitè feratur, ut flumen, oratio: verum etiam  
ut multo majorem vim habeat.

### *Quanam sunt observationes ora- torii numeri?*

Vnica est consideratio hïc eaq; generalis,  
ut profæ numerus sit non solum poëtici nu-  
meri, sed etiam sui ipse dissimilis. Itaque  
observandum est.

I. Ut in prosa versum fugias. Citare ta-  
men licet, autoritatis aut voluptatis gratia,  
ut Cicero, præsertim senex, Atheniensium  
philosophorum exemplo fecit.

I I. Ne principium aut exitum carminis,  
principium aut exitum profæ facias.

I I I. Ut clausulas periodorum præcipuè  
observes: in his enim maxime perfectio atque  
absolutio judicatur.

### *Quid igitur in clausulis maxime ob- servandum est?*

I. Ne numerum longius continues senis  
à fine syllabis retrorsum.

II. Ut moderationem longarum & bre-  
vium syllabarum adhibeas. Clausula enim ex  
omnibus longis tardior est: ex omnibus bre-  
vibus, concitator: Ex permistis, moderatior:

III. Ut

## DE RHETORICA.

III. Vt literarum bonitatem observes,  
Nam literarum bonitas præstantior per sese  
videtur, quàm ipsa syllabarum mensura: nu-  
merique gratia, non solum ducitur è pedibus  
syllabarum, sed etiam è sono literarum, quæ  
vel grandiores vel magis confertæ in clausu-  
la resonant. **N**

## DE FIGVRIS IN REPETITIONE.

*Quotuplex est Figura Repetitionis?*

Duplex: Similis & Dissimilis soni.

*Quot sunt figura repetitionis similis?*

Septem: Epizeuxis, Anadiplosis, Cli-  
max, Anaphora, Epistrophe, Epanalepsis, Epa-  
nodos.

*Quid est Epizeuxis?*

Est figura, qua sonus idem vel vox eadem  
continue iteratur in eadem sententia. Vt ad  
illam pestem comprimendam, extinguendam,  
delendam natus est: item Crux, crux infelici  
& misero: Illic enim numerus seu sonus: hinc  
vox seu dictio eadem est repetita. Interdum  
parenthesis interponitur, res tamen eodem  
redit.

*Quid est Anadiplosis?*

Est repetitio continua eiusdem soni in  
fine præcedentis & principio sequentis sen-  
tentia. Vt: Vivis: & vivis non ad deponen-  
dam, sed confirmandam audaciam.

*Quid*

## DE RHETORICA.

### *Quid est Climax?*

Cum oratio tribus aut pluribus gradibus progreditur, ita ut antecedens sequenti loco repetatur. Ut, in urbe luxuries creatur: ex luxuria existit avaritia: ex avaritia erumpit audacia: ex audacia gignuntur omnia scelera.

### *Quid est Anaphora?*

Est quando sonus idem iteratur in principiis sententiarum: Ut, Sollicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam seditione tradidistis: item, nihilne noturnum presidium, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil horum vultus moverunt. Illic sonus, hinc dictio iterata est.

### *Quid est Epistrophe?*

Est numerus, quo similis sonus in clausulis iteratur. Ut in soni repetitione: Eius voluntati cives assenserunt, socii obtemperarunt, hostes obedierunt: item dictionis, ut Doletis tres exercitus populi R. esse interfectos? interfecit Antonius: desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit Antonius. Ad epistrophem pertinent, *πάροια, ἰσοκωλα, ἀντίθετα, ὁμοιοπλάσια, ὁμοιοτέλεστα*: in quibus sæpè oratorius quidam numerus resonat, res eadem est, diversa tantum nomina sunt: totum efficitur *ἐπιτροπή* & conversione similiter desinentium.

*B Quomodo*

## DE RHETORICA.

*Quomodo vocatur figura composita ex anaphora & epistropa?*

Vocatur Symploce: estque vel soni: ut spem ostendistis, timorem injecistis, fidem sustulistis: vel dictionis: ut quis legem tulit? Nullus: quis comitiis præfuit? Nullus. Et hæ tres proximæ figuræ, Anaphora, Epistrophe, Symploce, in Cicerone, Cæsare aliisque bonis autoribus frequentissimæ vel potius perpetuæ sunt.

*Quid est Epanalepsis?*

Est qua idem sonus in principio & clausula repetitur. Ut libertate esse parem cum cæteris, principem dignitate: item, multi & graves dolores inventi, parentibus & propinquis multi: illic soni, hic dictionis repetitio est.

*Quid est Epanodos?*

Qua sonus in principio & medio, vel in medio & fine iteratur. Ut qui gratiam refert, habet: & qui habet, refert.

*Quot sunt figura repetitionis dissimilis?*

Duæ. Paronomasia & Polyptoton.

*Quid est Paronomasia?*

Cum dictiones significationibus diversæ, syllaba tamen aliqua similes, sono inter se consonant. Ut veritas premitur, non oppri-  
C mitur.

## DE RHETORICA.

mitur. Nemo potest alteri dare matrimonium, nisi penes quem sit patrimonium.

### *Quid est Polyptoton?*

Cum eiusdem originis conjugatæ voces inter se consonant. Ut, Certus locus, certa lex, certum tribunal. Item, Non vivo ut edam: sed edo ut vivam.

## DE FIGVRIS SENTENTIAE.

### *Quid est Figura sententiae?*

Qua oratio, animi aliquo motu affecta figuratur. Et hinc *ῥητορικὴ καὶ ψυχολογία* elocutionis summa est. Nam ut superior troporum & figurarum in verbis elocutio ad docendum & delectandum multum valet: hæc ad movendum plurimum valebit.

### *Quotplex est Figura sententiae?*

Duplex. Est enim in Logismo aut Dialogismo. Logismus est, quando sine colloctione sententia figuratur. Habetque quatuor species, Exclamationem, Sui ipsius revocationem. Apostrophen & Prosopopœian.

### *Quid est Exclamatio?*

Est figura in logismo per adverbium exclamandi expressum vel intellectum. Estque variorum affectuum, ut admirationis, desperationis,

## DE RHETORICA.

rationis, optationis, indignationis, irrisionis, commiserationis, imprecationis vel execrationis. Ut o clementiam admirabilem! O frustra mei suscepti labores! o spes fallaces! Sicut autem interrogatio ita figuratur? ita exclamatio hoc modo! Ad eam pertinet Licentia, Græcis παρρησία, & Epiphonema, quod ad finem rei narratæ & explicatæ addi solet, ut:

*Tanta molis erat Romanam condere gentem.*

### *Quid est Revocatio suiipsius?*

Est ardoris in exclamatione veluti refrigeratio & moderatio: estque ἐπανάθεωσις aut ἀποσιώπησις.

### *Quid est ἐπανάθεωσις?*

Est quando antecedens vel dictum vel oratio revocatur. Dictum, ut: Filium unicum adolescentulum habeo. Ah, quid dixi habere me? Orationis, ut: Sed finis sit: neque enim præ lacrymis loqui possum.

### *Quid est Aposiopepsi?*

Est quando sententia inchoata revocatur, ut reliqua intelligenda relinquuntur. Ut Virgilius:

*Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.*

### *Quid est Apostrophe?*

Est quando oratio ad aliam personam convertitur, quàm instituta oratio requirit.

C 2      Fic

## DE RHETORICA.

Fit autem averſio aliàs ad hominem, aliàs ad Deos (quo pertinet poëtarum invocatio) aliàs ad rem mutam & inanimatam. Pro Milone. Vos Albani tumuli atque luci: vos, inquam, imploro atque obteſtor.

### *Quid eſt Profopœia?*

Eſt fictio perſonæ, qua velut alienam perſonam oratione noſtra loquentem fingimus. Eſtque duplex: Imperfecta ſeu obliqua, & perfecta. Imperfecta eſt, cum ſermo alienæ perſonæ leviter & obliquè repræſentatur. Ut Cicero pro lege Manilia. Hi vos tacitè rogant, ut ſe quoque dignos exiſtimetis, quorum ſalutem tali viro commendetis. Perfecta eſt, cum tota fictio perſonæ, oratione noſtra repræſentatur: quo in genere & accèſſus ad profopœiam & reſeſſus decorus eſſe debet. Sic Cicero duplici profopœia utitur in prima Catilinaria: in quarum priore patria, in poſteriore Reſpublica cum Catilina loquitur. Hoc ornamentum elocutionis ſingulare eſt.

### *Quid eſt Dialogiſmus?*

Eſt quando interrogatione & reſponſione ſententia figuratur: eius ſpecies ſunt: ad-dubitatio, communicatio, occupatio, permiſſio & conceſſio.

### *Quid eſt Addubitatio?*

Eſt deliberatio nobiſcum. Cicero. Equi-  
dem



## DE RHETORICA.

dem quod ad me attinet, quò me veritam nescio : negem ne illam rem agitatam in iudiciis?

### *Quid est Communicatio?*

Est deliberatio cum aliis. Cicero. Ego pro te nunc hoc consulo, post tempus in aliqua re, quod tu in tua re, cum tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te &c Communicationi affinis est Suspendatio, cum diutius suspenditur animus auditoris, & tandem supra opinionem & expectationem aliquid affertur.

### *Quid est Occupatio?*

Est cum alieni consilii interrogationem occupamus, ei que responsionem subjicimus: ideo que à priori parte occupatio: à posteriore subjectio: Græce prolepsis dicitur. Estque proœmiis valde accommodata & frequens.

### *Quid est Permissio?*

Cum facti cujuspiam licentia condonatur. Cicero. Si quid est quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quanquam iniquum est, tamen consume fane. Virgilius:  
*I, sequere Italiam ventis: pete regna per undas.*

### *Quid est Concessio?*

Cum dictum aliquod aut argumentum condonatur. Cicero. Sit sacrilegus, sit fur,

C 3            sit

## DE RHETORICA.

fit flagitiorum omnium vitiorumque princeps: at est bonus imperator. Virgilius.  
*Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.*  
*Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis:*  
*At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.*

## DE PRONVNCIATIONE.

### *Quid est Pronunciatio?*

Est ornata cogitationis enunciatio. Eius tanta est præstantia, ut huic primas Demosthenes dedisse dicatur, cum rogaretur quid in dicendo esset primum: huic secundas, huic tertias. Nam actio, ut autor est Quintilianus, orationis quasi vita est. Rerum inventio, ossium instar est: ordo nervos imitatur: elocutio carnem, cutem, coloremque: memoria spiritus vice fungitur: quibus omnibus accedit pronunciatio, velut motus quidam vitalis. Nullum enim certius argumentum vitæ quàm motus: unde & flumina viva dicuntur & argentum vivum. Contra mortua quæ torpent, languentque.

### *Quot sunt eius partes?*

Duæ. Vox & Gestus: illa vocatur pronunciatio, hæc actio: illa ad aures, hæc ad oculos attinet: per quos duos sensus, ad animum omnis ferè cognitio pervenit. Vocis bonitas optanda nobis primum est: deinde  
quæ-

## DE RHETORICA.

quæcunque ea fuerit, tuenda & exercenda,  
sic ut omnia quæ proferentur, sono vocis ad  
res accommodato proferantur.

*Quodnam est Generale præce-  
ptum vocis?*

Vnum est de Mediocritate, ne scilicet sit  
gravissima, néve acutissima. Nam submisso  
murmure debilitatur omnis intentio: con-  
tra autem omnia clamosè dicere, insanum  
est. Itaque in intermediis inter imum sum-  
mumque spaciis est consistendum.

*Quomodo obtinetur illa mediocritas?*

Si adhibebimus crebram mutationem:  
nihil enim perniciosius, quàm effusa sine in-  
termissione contentio. In omni quippe vo-  
ce est quiddam medium, extremum, & gra-  
vissimum. Huius varietatis observatio æqua-  
bilitas dicitur, cui contraria est *μονοτονία*, quam  
Quintilianus cum Cicerone valdè fugien-  
dam censet.

*Quanam autem erit moderatrix  
illius varietatis?*

Animi cogitatio. Vox enim animi inter-  
pres & nuncia esse debet. Sunt enim voces,  
ut nervi in fidibus: atque ita sonant, ut à mo-  
tu animi sunt pulsæ.

*Quanam sunt specialia præcepta vocis?*

Duo sunt. Vnum de ratione in singulis

C 4

verbis

## DE RHETORICA.

verbis & tota sententia : alterum de exerci-  
tatione.

*Quæ est pronuntiatio in singu-  
lis verbis ?*

In singularum vocum pronuntiatione ne-  
cesse est troporum genera, si qua sunt actuo-  
sa, relucere. Nec enim aliter ironia aut me-  
taphora illustrior, intelligeretur.

*Qualis est pronuntiatio in sen-  
tentia?*

Est in figuris & affectibus.

*Quomodo in Figuris ?*

Cum adhibetur cantus quidam orationis  
in vocis flexione & suavitate : præcipuè in  
numerosis dimensionibus aut repetitioni-  
bus.

*Quomodo in Affectibus ?*

In alio affectu vocis aliud genus est : In  
miseratione vox erit flebilis , interrupta,  
flexibilis : in iracundia, acuta, incitata, cre-  
bro incidens : in metu, & verecundia, contra-  
cta & hæsitans : in voluptate & lætitia, tene-  
ra, lenis, effusa, læta : in dolore, gravis & imo  
pressu ac sono obducta : in blandiendo, satis-  
faciendo, rogando, lenis & submissa. Atque  
hæc de Voce seu pronuntiatione.

*Quid est actio seu gestus ?*

Est venustus motus corporis & partium  
eius,

## DE RHETORICA.

eius, ad elocutionem & pronunciationem accommodatus.

*Quotplex est gestus?*

Duplex. Totius corporis & partium eius.

*Qualis debet esse totius corporis?*

Virilis & secundum naturam erectus & excelsus. Trunco igitur totius corporis orator seipsum moderetur: gesticationem ridiculam caveat. Nutatio etiam & vacillatio indecora est.

*Quis est gestus partium corporis?*

I. Caput cum illo corporis statu consentire debet: & aspectus vertitur eodem, quò gestus corporis, excepto cum quid damnum aut reuendum est aut averendum. Modestia & metus demisso capite significatur.

II. Frontem in dolore ferire, Ciceroni videtur oratorium, Fabio scenicum.

III. Oculorum magna debet esse moderatio, qui quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes habent. Vultus imago est animi, indices oculi. Efficiendum igitur ne quid ineptum aut vultuosum sit.

IV. Brachium procerius projectum continuos & decurrentes locos maximè decet, & cum speciosius quiddam uberiusque dicendum est.

V. Manus digitis verba debent subsequi, non exprimere.

## DE RHETORICA.

VI. Digito indice dolor animi & impetus exprimitur : idem in exprobrando & indicando, allevata ac humerum spectante manu, paulum inclinatus, affirmat : versus in terram & quasi pronus urget. Maxime communis gestus est, quo medius digitus in pollicem contrahitur, explicatis tribus.

FINIS RHETORICAE.



POETI.

P O E T I C A,  
A D V S V M  
R V D I O R V M I N  
E P I T O M E N R E -  
D A C T A :

P E R

*D. Joan. Thomam Freigium.*



T Y P O.

TYPVS PRÆCEPTORVM DE POETICA ARTE.

		I. De methodo: ut vitemus heterogenea.	
	Logica	II. De Inventione.	
		III. De Dispositione seu ordine.	
Præcepta poëseos Horatiana sunt vel	Communia cum aliis artibus: eaque vel	Rhetorica	I. De Elocutione, de Verborum novatione. Numeris.
			II. De Pronunciatione seu actione & affectibus.
		Ethica de	Decoro. Moribus personarum.
			I. De generibus poëmatum, eorumque tractatione & inventione, id est, causa formali & inventione.
	Propria poetarum	II. De causis efficientibus poëseos: ut sunt	Exercitatio. Ars. Natura.
	III. De vitiis poetarum fugiendis, ut sunt	Adulatio. Vicia.	

QV AE.



DE POETICA.



QVÆSTIONES IN  
ARTEM POETICAM  
HORATII.

*Quid est Poëtica?*

Est ars benè scribendi versus seu poëmata.  
Est autem ars generalis, quæ nulli certæ  
materiæ alligata est, nec subjectum proprium  
habet: sicut & Grammatica & Rhetorica &  
Logica. Duo enim sunt generalia Deorum  
munera hominibus tributa, unde alia ferè  
omnia profecta sunt, Ratio scilicet & Oratio.  
Rationis doctrina Dialectica est: ideoque  
quicquid rationis ac mentis proprium fue-  
rit, quod non sine ratione tractari & exerceri  
possit: id propriè Dialecticæ arti attribuito.  
Orationis autem laudes duæ sunt, puritas &  
ornatus. Grammaticæ igitur partes sunt pu-  
ritas sermonis & elegantia, quæ perspicitur  
in singulis verbis ex etymologia: in conjun-  
ctis ex syntaxi. Hic Grammaticæ fundus to-  
tus & proprius est, neque Dialectica hîc ne-  
que Rhetorica quicquam suum ducit. Orna-  
ta vero oratio duplex est, Soluta ἀπερτεῖς, &  
Ligata ἐμμετρεῖς. Circa solutam versatur Rhe-  
torica: cuius virtus & propria & sola est, ut  
possit

## DE POETICA.

possit troporum luminibus variare, insignibus figurarum exornare, modulatione vocis permulcere, dignitate gestus excitare. quæ quidē maxima virtus & amplissima est. Circa vinctam orationem versatur Poëtica, quæ sicut Rhetorica, generalis quoque ars est, sed Rhetoricam in eo vincit, quod tropis liberius utitur, & ad eam licentiam omnes delicias ac Veneres assumit, veraque falsis miscet. Fabulæ enim & figmenta ei quasi propria sunt. Alioqui si vera tractes, si severior fueris: nihil habere poëtæ nisi numerum videre. Sic Empedocles Aristoteli physiologus videtur, non poëta: neque quicquam habere commune cum Homero, præter metrum, *ἔδεν κρινὸν ἔστιν ὁμήρω καὶ ἐμπεδοκλεῖ, πολλὴ τὸ μέτρον. δι' ὃ τὸν μὲρ ποιητῶν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητῶν.*

### *Quot sunt genera Poëmatum?*

Tria sunt, secundum Platonem lib. 3. de Repub. sed per *διχοτομίαν* ad duo rediguntur: quorum unum simplex est, alterum compositum. Simplex rursus duplex est: Vnum, quod totum in actione & imitatione consistit: eamque ob causam *δραματικὸν καὶ μιμητικὸν* dicitur: habetque interpositas personas vel agrestes vel excultas. Ab agrestibus dicitur *αἰπολικὸν & σαιτυρικὸν*. Et quanquam agrestium hominum seu pastorum tria genera sint, *αἰπόλοι, ποιμένες, βεκόλοι*, caprarii, opiliones, bubulci: per synecdochen tamen ex specie genus appel-

## DE POETICA.

appellatur βυβαλικόν, tanquam diceret bubulum pro pastorali. Excultæ autem personæ vel Civiles sunt, vel Heroicæ. Civilibus constat Comœdia, ut Aristophanis, Plauti, Terentii. Heroicis constat Tragœdia, ut Aeschyli, Sophoclis, Euripidis. Alterum poëmatis simplicis genus, est omnis imitationis expers: contentum sola narratione atq; expositione: diciturq; διηγηματικόν, quia constat ἀπλῆ διηγήσει, ut ait Plato. Estque vel Ethicum, vel Physicum, vel Historicum. Ad Ethicum genus pertinet Theognis, Phocylides, Pythagoras, Hesiodus. Epistolæ & Sermones Horatii, Persius, Juvenalis, Catonis disticha. Ad Physicum, Georgica Virgilii, Metamorphosis Ovidii, Lucretius, Aratus, Dionysius, Hesiodus, Nicander, Macer, Serenus; Oppianus. Ad historicum Ovidii itidem Metamorphosis, & eiusdem Fasti, & Lucanus. Compositum denique est, quod partim imitatione, partim expositione constat, ideoque à Platone δ' ἀμφοτέρων dicitur, ut Aeneis Virgilii & Homeri utrumque poëma.

### *Quid agit Horatius in arte Poëtica?*

Tradit præcepta poëseos, partim communia cum aliis artibus, partim poëtarum propria.

### *Quænam sunt communia?*

Ea trium sunt generum, Logica, Rhetorica, Ethica.

DE

DE POETICA.  
DE LOGICA POETÆ.

*Quanam sunt Logica?*

Tria sunt: Quorū primum est de Metho-  
do. Secundum, de Inventionē. Tertium, de  
Dispositione.

I. *Quodnam est præceptum Logi-  
cum de Methodo?*

Vt in poëmate omnia sint inter se homo-  
genea, cognata & affinia. Quod non solum  
in artibus, sed in qualibet quæstione valet.  
Ars enim omnis constare debet ex homoge-  
neis, ut præcepta sint uno & eodem genere  
compræhensa: secus arithmeticum in Geo-  
metria ἀνωμέτερον: Geometricum in Arith-  
metica ἀνάρρητον fuerit, ait Aristotel. lib. i. po-  
ster. cap. 9. Enunciata autem quamlibet quæ-  
stionem continentia, sunt itidem quodam-  
modo homogenea: itaque quæ in tota vel  
Iliade, vel Aeneide, quæ in qualibet Demo-  
sthenis aut Ciceronis Philippica sunt enun-  
ciata, ea sunt homogenea: si non absolutè,  
certè hætenus, dum finem eūdem respiciunt.  
Heterogenia itaque etiam à poëta Horatio  
in poëmate repræhensa est, quamvis poëtis  
multò justior licentia sit. Primum autem  
præceptum illustrat similitudine sumpta à  
pictura. Vt pictura ex heterogeneis compo-  
sita, est monstrosa & ridicula: ita & poëma ex  
diversis formis compositum, est ridiculum.

*Humano*

## DE POETICA.

Humano capiti cervicem pictor equinam  
Iungere si velit, & varias inducere plumas,  
Undique collatis membris, ut turpiter atrum  
Desinat in piscem mulier formosa superne:  
Spectatum admissi risum teneatis amici?  
Credite Pisones isti tabula fore librum  
Persimilem: cuius, velut aegri somnia, vana  
Fingentur species: ut nec pes, nec caput uni  
Reddatur formæ. Pictoribus atque poetis  
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas:  
Scimus & hanc veniam petimusque damusque  
vicissim:

Sed non ut placidis coëant immitia, non ut  
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.  
Inceptis gravibus plerunque, & magna professis,  
Purpureus, latè qui splendeat, unus & alter  
Assuitur pannus: cum lucus & ara Diana,  
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,  
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur  
arcus:

Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum  
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat expes  
Navibus, ære dato, qui pingitur? amphora cœpi  
Institui, currente rota, cur urceus exit?  
Denique sit quodvis simplex duntaxat & unum.

His verbis egregias sententias de Metho-  
do complexus est: quarum quædam negativæ  
sunt, quæ docent quid fugiendum sit: ultima  
est affirmativa, quid sequendum sit.

D

Quæ-

## DE POETICA.

### *Quenam sunt negativa?*

Humanum caput non debet desinere in piscem.

Non debent vanæ species simul fingi, ut somnia ægrotorum hominum.

Vitiosum est, cum nec pes, nec caput uniformæ redditur.

Non debent immitia placidis jungi: nec serpentes avibus, aut agni tigribus.

Non sunt consuendi centones seu panni splendidi. Allegoria à Vestiariis.

Cupressum non oportet simulare. Allegoria à Pictoribus.

Cum amphora instituitur, non debet urceus exire. Allegoria à Figulis.

### *Quenam est Affirmativa?*

Denique sit quodvis simplex duntaxat, & unum.

### *Quenam est causa heterogenia?*

Ignorantia recti seu medii, quod tenere difficillimum est: plerique enim fuga vitiorum, incidunt in vitia, cum huiusmodi vitia virtutibus admodum sint vicina. Hanc autem ignorantiam recti illustrat dupliciter. Primò ex quinque generibus orationis, brevi, mediocri, grandi, humili, illustri: quibus opponuntur obscurum, enervatum, inflatum, abjectum, prodigiosum. Deinde ab exemplo statuarii Imi, qui infelicis artificis exemplum est, qui partem rectè facit, in toto errat.

*Maxi-*

## DE POETICA.

Maxima pars vatum (pater & juvenes patre  
Decipimur specie recti: brevis esse laboro, [digni])  
Obscurus fio: sectantem levia, nervi  
Deficiunt, animique: professus grandia, turget:  
Serpit humi, tutus nimium, timidusque procella,  
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,  
Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum.  
In vitium ducit culpa fuga, si caret arte.  
Emilium circa ludum faber Imus, & ungues  
Exprimet, & molles imitabitur aere capillos:  
Infelix operis summa: quia ponere totum  
Nesciet: hunc ego me, si quid componere curem  
Non magis esse velim, quam pravo vivere naso,  
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

### I I. Quodnam est secundum praeceptum Logicum de Inventione?

Est de materia seu quaestione & de argu-  
mentorum λόγος, ut scilicet ex rerum cog-  
nitione sumantur, cuius duo sunt effecta, elo-  
quentia & ordo.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, equam  
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,  
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

### I I I. Quodnam est tertium Logicum prae- ceptum de Dispositione?

Id proprium Poëtae est, qui non ubique  
perfectam ordinis regulam sequitur, ut pri-

D 2                   mum

## DE POETICA.

mum primo loco, secundum secundo ponat: sed ordinem quibusdam gradibus invertit, & utitur *κρυψή* occultatione ordinis.

*Ordinis hæc virtus erit & Venus (aut ego fallor)  
Ut jam nunc dicat: jam nunc debentia dici  
Pleraque differat & præsens in tempus omittat.  
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis autor.*

## DE RHETORICA

P O B T A E.

*Quot sunt partes Rhetoricæ?*

Duæ. Elocutio & Actio.

*Quot sunt considerata in Elocutione?*

Duo. Verba nova & Numerus.

*Quot sunt considerata in Verborum novatione?*

In novandis seu serendis verbis quinque præcepta sunt. 1. ut parcus sis in nova semente verborum facienda. 2. ut cautus & providus sis. 3. ut junctura, id est, compositio verborum sit artificiosa & prudens. 4. ut non nisi necessitate postulante verba noventur. 5. ut novum verbum ex Græco fonte cadat.

*In verbis etiam tenuis, cautusque serendis.*

*Dixeris egregiè, notum si callida verbum  
Reddiderit junctura novum: si fortè necesse est  
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum:*

*Finge-*



## DE POETICA.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis  
Continget dabiturq<sup>3</sup>, licentia sumta pudenter.  
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si  
Græco fonte cadant parcè detorta.

Licuit, semperque licebit

Signatum presente nota producere nomen,  
Ut sylva foliis pronos mutantur in annos,  
Prima cadunt: ita verborum vetus interit atas:  
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.  
Multa renascentur, quæ jam cecidere: cadentque  
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,  
Quem penes arburium est, & vis & norma lo-  
quendi.

Quenam sunt consideranda in  
numero?

Quatuor genera carminum, ut heroicum,  
elegiacum, jambicum & lyricum: quæ singu-  
la suis causis efficientibus & subjectis de-  
scribit.

1. Res geste regumq<sup>3</sup>, ducumq<sup>3</sup>, & tristia bella  
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

2. Versib. impariter junctis querimonia primum,  
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Quis tamen exiguos elegos emisit autor,  
Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

3. Archilochum proprio rabies armavit Iambo.  
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni:

Alternis aptum sermonibus, & populareis  
Vincens strepitus & natum rebus agendis.

D 3

4. Mu-

## DE POETICA.

4. *Musa dedit fidibus Divos, puerosq; Deorum,  
Et pugilem victorem & equum certamine primum,  
Et juvenum curas, & libera vina referre.*

Qui igitur nescit qui numeri, quæ vices,  
qui que colores, quibus rebus aptandi sint :  
aut relinquat poetæ nomen, aut discat potius  
quàm turpiter nesciat. Atque hætenus de  
elocutione.

*Quot consideranda sunt in Pronun-  
ciatione ?*

Duo : Vocis ratio & Affectus.

*Quid præcipit de voce ?*

Vocis ratio alia est in Comœdia, alia in  
Tragœdia.

*Versibus exponi Tragicis res Comica non vult :  
Indignatur item privatis, ac propè socco  
Dignis carminibus narrari coena Thyestæ.  
Singula quæque locum teneant sortita decenter.  
Interdum tamen & vocem Comœdia tollit :  
Iratuque Chremes tumido delitigat ore,  
Et Tragicus plerunque dolet sermone pedestri.  
Telephus & Peleus, cum pauper & exut uterque,  
Projicit ampullas & sesquipedalia verba,  
Si curat cor spectantis tetigisse querela.*

*Quid præcipit de Affectibus ?*

In alio affectu, aliud vocis genus est. Ex-  
empla affectuum proponit in risu, fletu, tristi-  
tia, ira, lascivia, severitate.

*Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunt :  
Et,*

## DE POETICA.

Et, quocunque volent, animum auditoris agunt.  
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt  
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est.  
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia ledent.  
Telephe vel Peleu, malè si mandata loqueris,  
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia m. æstum  
Vultum verba decent: iratum, plena minarum:  
Ludentem lasciva: severum, seria dictu.  
Format enim natura prius nos intus ad omnem  
Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram,  
Aut ad humum mœrore gravi deducit & angit.  
Post effert animi motus interprete lingua.  
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,  
Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.

## DE ETHICA POETÆ.

*Qualis debet esse Poëta Ethica?*

Debet observare decorum, τὸ πρέπον, personarum, de quo Cicero multa in 1. Offic. Alia enim aliam conditionem, aliam ætatē, aliam fortunam, alia studia, aliam nationem, aliam patriam decent, quæ omnia per specialia exempla explicat.

*Intererit multum Davus ne loquatur, herusve,  
Maturusve senex, an adhuc florente juventa  
Fervidus: an matrona potens, an sedula nutrix,  
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:  
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.*

D 4 Quot

## DE POETICA.

*Quot sunt genera Personarum?*

Duo. Vnum vetus, alterum novum: in illo famam, id est, consuetudinem sequi: in hoc convenientiam observare decet.

*Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge  
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem,  
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,  
Iura neget sibi nata: nihil non arroget armis,  
Sic Medea ferox, invictaque flebilis Ino,  
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.  
Si quid inexpertum scenæ committis, & audes  
Personam formare novam, servetur ad imum  
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.*

Atque hætenus communia poëtos præcepta fuerunt: sequuntur artis eius propria.

*Quot sunt propria poëtos præcepta?*

Tria. I. De generibus poematum. II. De causis poëtos. III. De vitiis fugiendis.

## DE POEMATVM GENERIBVS.

*Quot sunt consideranda in Poëmatibus?*

Duo. Tractatio & inventores: hoc est, de eorum causa formali & efficiente. In Tractatione quatuor explicat Horatius, Epicum, Comicum, Tragicum & Satyricum.

DE

DE POETICA.  
DE EPICO SEV  
HEROICO.

*Quot considerat in Epico?*

Tria. Argumentum, Exordium & Nar-  
rationem.

I. *Qualenam est argumentum Epi-  
ci carminis?*

Argumentum aut per imitationem ab  
aliis sumitur, qui id sibi proprium fecerunt,  
ut Homerus Achillem, Virgilius Aeneam:  
aut nostro Marte de novo fingitur, & è com-  
muni sumitur, quod nostrum proprium fa-  
ciamus: illud facilius, hoc difficilius est.

*Difficile est propriè communia dicere: tu quo  
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,  
Quam si proferres ignota, indictaque primus.*

*Quomodo tractandum est utrum-  
que genus?*

In eo quod nos sine imitatione de novo  
fingimus, fugienda sunt vilia & obvia: in alte-  
ro, quod ab aliis sumimus, videndum est ne  
de verbo ad verbum, & ut I. C. loquuntur,  
*κατὰ πόδα* interpretemur: neve ita nos ad imita-  
tionem astringamus, ut non aliquando ab  
exemplo proposito nobis discedere liceat.

*Publica materies privati juris erit, si  
Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem.  
Nec verbum verbo curabis reddere fidus*

D. S.

Inter-

## D E P O E T I C A.

*Interpres: nec desilies imitator in arctum.  
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.*

### II. *Quale debet Exordium esse heroici carminis?*

Non debet esse arrogans aut fastu plenum, ut Cyclici, quem Robortellus Antimachum vocat. Sic enim & Rhetores in exordio verecundiam laudant. Arrogantia enim nusquam non est odiosa in oratione, sed maxime in exordis.

*Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim,  
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.  
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?  
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

E contra debet esse aptum & verecundum, qualia sunt Homeri in utroque opere, dum invocat Musas. Exemplum igitur Homeri proponit, quem quali normam & legem poetarum esse omnes putant:

*Quantò rectus hic, qui nil molitur ineptè:  
Dic mihi Musa virum, capta post tempora Troja,  
Qui mores hominum multorum vidit & urbeis.  
Non sumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem,  
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,  
Antiphatem, Scyllamque & cum Cyclope Charybdim.*

### III. *Qualis debet esse Narratio Epicæ carminis?*

Non incipiendum est à primo initio, quod fecit

## D E P O E T I C A.

fecit Antimachus, sed à medio negotio. Et hoc proprium est poëticae *κεῖψεως*, à medio incipere: tum per occasionem aliquam præterita narrare, deniq; notabili aliquo casu concludere. Sed hæc ordinis perversio non admodum magna est. Homerica enim hystero-logia & Virgiliana, secundo libro terminatur, cætera directam methodum habent. Homerus itaque propter ordinis huius inversionem talem dicitur ab Aristotele *θεωρεῖσθαι*, divinus, præ cæteris poetis, quia bellum Trojanum aggressus, constans & principio & medio & fine, non totum complexus sit, sed amputarit prima quædam & extrema: tantumque illustria retinuerit, assumtis etiam episodis externis. Iliadis artificium hoc *κεντρικὸν* Horatius hîc interpretatur:

*Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,  
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo,  
Semper ad eventum festinat, & in medias res  
Non secus, ac notas, auditorem rapit: & quæ  
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.  
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,  
Primo ne medium, medio ne discrepet inum.*

In medias ) Aristotelicum est illud, à medio incipere, tanquam notissimo. Sic Ilias incipit à precibus Chryfæ sacerdotis: & secundo libro in catalogo navium præterita comprehenduntur: duo deinceps & viginti libri,

## DE POETICA.

libri, gradibus temporum ordinem rerum sequuntur. Historia contra ab ultimis incipere debet.

Nitescere) Sic Aristoteles in Poëtica: Si Homerus totum complecteretur, id esset nimis magnum *μηδὲ γὰρ οὐδὲν ὑπερπλοῦν*, neque satis illustre. At non est complexus omnia: nam una parte assumpta, episodii multis est usus. *Ἐπιπέλοισιν* ergo opus fecit. Est autem episodium adventitium & jucundum acroama.

Mentitur) De laudibus Homeri una est illa apud Aristotelem in libro de arte poetica: Docuit verò maximè Homerus & alios falsa dicere, uti convenit. Quin etiam ipsum mentiendi artificium è syllogismi paralogismo docuit. Sic enim ait:

Si posterius est, etiam prius est.

At hoc falsum.

Falsum ergo & illud.

Exemplum habes in Sinone apud Virgilium in 2. Aeneid.

## DE COMICO POEMATE.

*Quanam est tractatio Comici  
poëmatis?*

In Comœdia præcipuè mores singulorum ætatum sunt considerandi.

*Tu quid ego, & populus mecum desideret, audi:*

*Si plausoris eges aulæa manentis, & usq̃*

*Sessuri,*



## DE POETICA.

Sessuri, donec cantor vos plaudite, dicat:  
Etatis cuiusq<sub>3</sub> notandi sunt tibi mores,  
Mobilibusq<sub>3</sub> decor naturis dandus & annis.

Quinam sunt mores pueri?

Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo  
Signat humum, gestit paribus colludere: & iram  
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Quinam sunt mores adolescentis?

Imberbis juvenis tandem custode remoto  
Gaudet equis, canibusq<sub>3</sub> & aprici gramine campi,  
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,  
Utilium tardus provisor, prodigus aris,  
Sublimis, cupidusq<sub>3</sub> & amata relinquere pernix.

Quinam sunt mores viri?

Conversis studiis etas, animusq<sub>3</sub> virilis,  
Querit opes, & amicitias, in servit honori,  
Commisisse cavet, quod mox mutare labore.

Quinam sunt mores senis?

Multa senem circum veniunt incommoda: vel  
quod

Querit, & inventis miser abstinet, ac timet uti:  
Vel quod res omnes timidè gelideque ministrat.

Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,  
Difficilis, querulus, laudator temporis acti  
Se puero: censor, castigatque malorum.

Multa ferunt anni venientes commoda secum,

Multa recedentes adimunt: ne fortè seniles

Manden-

## DE POETICA.

*Mandentur juveni partes, pueroque viriles?  
Semper in adjunctis, a voque morabimur aptis.*

*Quotuplices sunt partes Comædiæ?*

Duplices, secundum quantitatem, ῥ ποσόν  
& qualitatem seu formam, ῥ ποιόν.

*Quotuplices sunt secundum  
quantitatem?*

Duplices: Separatæ aut Conjunctæ.

*Quot sunt partes separatæ?*

Duæ. Argumentum, ὡςιοχή & πρόλογος, in  
quo poëta rem suam agit.

*Quotuplex est Prologus?*

Duplex. Simplex, aut Mixtus, μικτός.

*Quotuplex est Simplex?*

Triplicis. 1. Συσαλικός, quo fabula vel poëta  
commendatur. 2. Αναφορικός, quo aut male-  
dicta adversariis aut populo gratiæ referun-  
tur. 3. Υποθελικός, quo exponitur argumentum  
fabulæ, ut multi Plautini sunt.

*Quid est Mixtus?*

Quæ omnia ferè hæc in se continet.

*Quot sunt partes Conjunctæ?*

Tres: Πρόπεισις, Επίπεισις, Καλαστροφία.

*Quot sunt secundum formam?*

Sex: Argumentum, Personæ, Sententiæ,  
Elocutio, Actio, Modus. μῦθος, ἦθη, ἀφάνοισι, λέξεις,  
ἄψισ

## D E P O E T I C A.

Ψις, μελωποιία. In argumento σύστασις, id est, se-  
 ries seu tractatio, hoc est, omnis vis inventio-  
 nis potissimum cernitur. cuius partes in Co-  
 mœdia duæ sunt, περίπτεσις & ἀναγνωσιμὸς. Περι-  
 πτεσις est cum actio in contrarium eventum  
 exit, & fortunæ commutatio incidit. Ἀναγνω-  
 σιμὸς, cum ex ignotis noti inter se fiunt. In  
 personis (quæ Aristoteles ἤθη vocat) jucunda  
 est comparatio, qua sæpè utitur Terentius,  
 & fere in omnibus Comœdiis. Nam præter  
 Eunuchum omnes habent binos senes, & præ-  
 ter Hecyram omnes binos adolescentes. Ita  
 una perioche duplex argumentum continet.  
 Sententiæ sub se continent νοήματα (id est, sen-  
 tentias personis annexas, quæ detractis perso-  
 nis γνῶμη fiunt) & locos communes, ῥήματα κοινὰ.  
 Qui vero modos in Comœdiis faciebant, cir-  
 ca Orchestram consistere solebant, quæ &  
 θυμέλη dicitur. Vnde & θυμεληγοί. Fuit autem  
 Orchestra in theatro locus juxta scenam, à  
 saltado dictus, quod chorus antiquus ferè cū  
 saltatione & canticis suas partes perageret.

*Quis numerus fuit personarum & actuum?*

Non sunt plures personæ in scenam re-  
 cipiendæ, quam tres: juxta Horatii præce-  
 ptum, quod paulo inferius ponitur.

*Nec quarta loqui persona laboret.*

Nam etsi tertia persona recipitur, paucif-  
 sima tamen loquitur, & ferè aliorum dicta ex  
 insidiis suscipit, & occultè respondet. Vnde  
 prover-

## DE POETICA.

proverbium, κωφὸν πρὸς ὄψιν: muta persona. Actus verò neq; plures neque pauciores quàm quinque requiruntur apud Latinos Comicos, id quod itidem Horatius monuit, dum ait:

*Neve minor quinto, neu sit productior actus  
Fabula, quae posci vult & spectanda reponi.*

Primus enim explicat argumentum, & ferè πρῶτασιν complectitur, in qua apud Terentium ferè sunt πρῶταί τε καὶ πρὸς ὄψιν, à quibus argumentum narratur: sed postea nusquam in Comœdia apparent. Secundus absolvit eundem. Tertius habet incrementa turbarum, in quo est ἰκίπασις. Quartus turbarum medicinam quærit: estque instar παρασιδῶνς ad catastrophem. Denique ultimus catastrophem continet. Curandum autem, ne qua persona in fine cuiuslibet actus in teatro reliqua sit. Olim autem in fine actuum chorus modos faciebat, ut videre in Reuchlini Hennone est.

*Quenam ratio fuit theatri & scenæ?*

Principio subitariis quibusdam gradibus & scenæ in tempus extructa ludi edebantur, & populus stans spectabat. Postea magno sumptu theatra & amphitheatra, ubi sederent, extructa sunt, quorum cavea 700000. caperet, autore Plinio. Erat autem theatrum in modum hemicicli, cuius ab utroque cornu scenæ erant cum singulis aris, quarum una Bacchi, altera eius Dei erat, in cuius honorem lu-

## DE POETICA.

rem ludi fiebant. In ipso autem theatro triplex ordo sedilium fuit: primus plebeiorum, secundus equestrium, tertius patriciorum. In primis autem quatuordecim ordinibus postea nemo sedebat per legem Rosciam, nisi equites qui possiderent 400. HS, id est, 10000. Coronat. Scena verò umbraculum erat, quò se histriones conferebant, idque ex arboribus primò fuit, postea siparia eum usum præstiterunt. Fuit autem duplex scena: Vna versatilis, quæ subito tota machinis quibusdam convertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat. Altera ductilis, quæ tractis huc atque illuc tabulatis, interiorem picturæ speciem nudabat. Proscenium denique locus erat ante scenam, in quam evocabantur mimi seu histriones ad fabulas agendas, quod aliàs pulpitum dicitur.

### *Quomodo differt Comœdia à Tragoœdia?*

Tragoœdia est heroicæ vitæ cum periculis repræsentatio: Comœdia autem privatæ, civilisque vitæ sine periculis compræhensio. Differunt autem quinque modis potissimum.

1. Materia, τῆ ὕλη, id est, rebus lætis & tristibus. Nam in Comœdia amores ferè & virginum raptus: in Tragoœdia luctus, exilia, cædes introducuntur: ἢ μὲν τραγωδία λύει τὸν βίον, ἢ δὲ κωμωδία συνίσησι. In Comœdia sunt sales & risus, in Tragoœdia perturbationes.

E

2. Per-

## DE POETICA.

2. Personis, τοῖς ᾠθεύουσι. Nam in Tragœdia sunt heroës: in Comœdia privati homines & mediocris tantum fortunæ.

3. Dictione, τῇ λέξει. Nam in Comœdia verba sunt non tam atrocias aut significantia, ut in Tragœdia, in qua τὰ πάθη affectus atrociores regnant, quos afferunt res grandes, δεινά: & planè hîc accidit, quod Alcibiades in Symposio Platonis ait sibi usu venire, si quando Socratem dicentem audiat: nimirum sibi τὴν καρδίαν πηδᾶν καὶ δάκρυα ἐκχεῖν ὑπὸ τῶν αὐτοῦ λόγων. In Comœdia autem τὰ ἥθη, id est, mitiores affectus sunt.

4. Exitu, τῷ τέλει ἢ ἐκβάσει. Nam in Comœdia exitus jucundi & læti: in Tragœdia tristes & funesti & fortunarū miserabilis commutatio. Illorum exemplum est in Odyssæa, horum in Iliade Homeri.

5. Χαρακτηρισμῶ, id est, propria nota in theatro: Nam Comœdia socco utebatur: Tragœdia verò sirmate & cothurno. Vnde proverbium, Cothurno versatilior.

## DE TRAGICO POEMATE.

*Quot considerat Horatius in Tragico poemate?*

Quatuor. Narrationem, Actus, Chorum & adjunctam melodiam cum apparatu.

*Qualis debet esse narratio?*

In narratione delectus habendus est rerum.

## DE POETICA.

rum. Quædam enim in scenam ducenda sunt, quædam honestè duci non possunt, ideoque referenda sunt:

*Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.  
Segnius irritant animos demissa per aures  
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus: & quæ  
Ipse sibi tradit spectator: non tamen intus  
Digna geri, promes in scenam: multa q̄, tolles  
Ex oculis, quæ mox narret facundia presens.  
Nec pueros coram populo Medea trucidet:  
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus  
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in an-  
guem.*

*Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.*

*Quot debent esse Actus?*

*Nève minor quinto, neu sit productior actu  
Fabula, quæ posci vult & spectanda reponi.  
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus  
Inciderit: nec quarta loqui persona laboret.*

*Quodnam est officium Chori?*

Patrocinium auctoris, conciliationes, adhortationes, laudationes virtutum, precatationes.

*Auctoris parteis chorus, officiumque virile  
Defendat: neu quid medios intercinat actus,  
Quod non proposito conducat, & hæreat apte,  
Ille bonis faveatq̄, & concilietur amicis:  
Et regat iratos & amet peccare timentis.*

## DE POETICA.

Ille dapes laudet mensa brevis : ille salubrem  
Iustitiam, legesque & apertis otia portis :  
Ille tegat commissa, Deosq; precetur, & oret  
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

### Qualis fuit olim Melodia ?

Melodia olim simplex fuit : & ut Pollux  
ait, τέταρα τευπήματα εἶχεν ὁ αὐλός : πολύτερον δ' αὐτῶν  
ἰποίησε Διόδωρος ὁ Ἰηβαῖος. Postea licentia mo-  
dorum & pompa theatralis crevit.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincita, tubaq;  
Emula, sed tenuis, simplexq; foramine paucō  
Aspirare & adesse choris erat utilis : atque  
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.  
Quò sanè populus numerabilis, utpote parvus,  
Et frugi, castusq; verecundusq; coibat.  
Postquam cœpit agros extendere victor, & urbem  
Latiorem amplecti murus, vinoque diurno  
Placari Genius festis impunè diebus :  
Accessit numerisq; modisq; licentia major.  
Indoctus quid enim saperet, liberq; malorum,  
Rusticus urbano confusus, turpis honesto ?  
Sic prisca motumq; & luxuriam addidit arti  
Tibicen, traxitq; vagus per pulpita vestem.  
Sic etiam fidibus vocis crevère severis,  
Et tulit eloquium insolitum facundia præceptis,  
Utiliumq; sagax rerum & divina futuri  
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

DE



DE POETICA.  
DE SATYRICO  
POEMATE.

*Quis finis est Satyrici poematis?*

Finis eius est, ut severitas Tragica hac quasi dicacitate Satyrica, eiusque jocis & fabulis mitigaretur, & animi hominum defatigati reficerentur. Verum hinc quoque decorum personarum servandum est:

*Carmine qui Tragico vilem certavit ob hircum,  
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, & asper  
Incolumi gravitate jocum tentavit: eò quòd  
Illecebris erat & grata novitate morandus  
Spectator, sunt usq; sacris & potus & exlex.  
Verum ita risores, ita commendare dicaces  
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo:  
Ne, quicumq; Deus, quicumq; adhibebitur heros,  
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,  
Migret in obscuras humili sermone tabernas:  
Aut dum vitat humum, nubes & inania capiet.  
Effutire leveis indigna Tragœdia versus:  
( Ut festis matrona moveri iussa diebus )  
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.*

*Quenam verba sunt in Satyra  
usurpanda?*

Satyræ scriptor, non tantum inornata & propria (quæ dominantia *κλέισ* ex Græco fonte vocat) verba usurpabit: nec ita fugiet cha-

E 3

raçte-

## DE POETICA.

rafterem ( quem colorem per metaphoram  
vocat ) ut Comico similis fiat : quod illustrat  
exemplis personarum ex Comœdia sumta-  
rum, quibus Satyros dissimiles esse vult :

*Non ego inornata & dominantia nomina solum  
Verbaq; Pisones Satyrorum scriptor amabo :  
Nec sic enitar Tragico differre colori,  
Ut nihil intersit Davus ne loquatur, an audax  
Pythias emuncto lucrata Simone talentum :  
An custos famulusq; Dei Silenus alumni.*

### *Quenam est materia Satyre?*

Satyricum carmen sumendum ex mate-  
ria nota & communi, & eleganti dispositio-  
ne ac elocutione tractandum est :

*Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis  
Speret idem : sudet multum, frustra q; laboret  
Ausus idem : tantum series, juncturaq; pollet,  
Tantum de medio sumtis accedit honoris.*

### *Quot vitia sunt in Satyra vitanda?*

Duo. Iuvenilis levitas & ignominiosa  
acerbitas.

*Sylvis deducti caveant me iudice Fauni  
Ne velut innati triviis, ac penè forenses,  
Aut nimium teneris juvenetur versibus unquam :  
Aut immunda crepent, ignominiosaque dicta,  
Offenduntur enim quib. est equus & pater & res :  
Nec quicquid fracti ciceris probat & nucis emtor,  
Aquis accipiunt animis, donantve corona.*

*Quæ*

DE POETICA.

*Quenam praeerea in Comœdia  
spectanda sunt?*

Duo. Pes jambus & diligentia.

*Quot sunt injambo consideranda?*

Quatuor: definitio, celeritas, carmen trimetrum, tanquam effectus & spondæus adjunctus.

*Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus,*

*Pes citus: unde etiam trimetris accrescere jussit*

*Nomen Iambeis, cum senos redderet ictus.*

*Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,*

*Tardior ut paulò, graviorq; veniret ad aureis,*

*Spondeos stabileis in jura paterna recepit*

*Commodus & patiens, non ut de sese secunda*

*Cederet aut quarta socialiter. Hic & in Acci*

*Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.*

*Quid de diligentia præcipit Horatius?*

Absoluta disputatione de Iambo, commendat diligentiam in scribendo poemate. Nam qui multa poemata in scenam mittit, aut festinanter aut negligenter aut inerudite scribit:

*In scenam missos magno cum pondere versus,*

*Aut operæ celeris nimium, curaq; carentis,*

*Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.*

*Non quisvis videt immodulata poemata iudex:*

*Et data Romanis venia est indigna poetis.*

*Idcircone vager, scribamq; licenter? an omneis*

E 4 Visu-

## DE POETICA.

Visuros peccata putem mea tutus & intra  
Spem veniæ cautus, vitavi deniq; culpam,  
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca  
Nocturna versate manu, versate diurna.  
At vestri proavi Plantinos & numeros &  
Laudavere saleis: nimium patienter utrumq;  
Ne dicam stultè mirati: si modo ego & vos  
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,  
Ligitimumq; sonum digitis callemus & aure.

Quid nunc sequitur?

Haftenus de causa formali, id est, tractatione poematum dixit: nunc ad causam efficientem, id est, inventores duorum generum, Tragediæ scilicet & Comædiæ accedit. Tragediam invenit Thespis Atheniensis: Aeschylus postea ad Tragediæ axioma quinque adjecit: larvas, pallam, proscenia, grandiozem orationem & cothurnos. Auctores autem & parentes veteris Comædiæ fuerunt Eupolis, Cratinus, Aristophanes, ut Horat. lib. 1. Serm. cap. 4. scribit. Hic autè ait:

Ignotum tragica genus invenisse Camæna  
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis:  
Quæ canerent, agerentq; peruncti secibus ora.  
Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ  
Aeschylus, & modicis instravit pulpita tignis:  
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.  
Successit vetus his Comædia, non sine multa  
Laude: sed in vitium libertas excidit, & vix  
Dignam

## DE POETICA.

*Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque  
Turpiter obtulit sublato jure nocendi.*

## DE CAUSIS EFFICIENTIBVS POESEOS.

*Quot sunt causa poëseos efficientes?*

Tres. Exercitatio, Natura & Ars.

I. *Quomodo describitur Exercitatio?*

Exemplo Romanorum, qui in omni genere se exercuerunt:

*Nil intentatum nostri liquere poëta,  
Nec minimum meruere decus, vestigia Græcæ  
Ausu deserere, & celebrare domestica facta:  
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.  
Nec virtute foret, clarisve potentius armis,  
Quàm lingua Latium: si non offenderet unum  
Quemque poëtarum lima labor & mora. Vos ô  
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non  
Multa dies & multa litura coërcuit, atque  
Perfectum decies non castigavit ad unguem.*

II. *Quenam est vis Natura?*

Eius tanta vis est, ut plerique stulta opinione ex Democriti autoritate concepta: existiment poëtam non nisi furore naturali fieri, sicut & Plato, qui *ἔνθουσιασμός* eiusmodi vocavit. Hunc furorē Horatius variè describit:

## DE POETICA.

Ingenium misera quia fortunatius arte  
Credidit, & excludit sanos Helicone poëtas  
Democritus: bona pars non ungueis ponere curat,  
Non barbam: secreta petit loca, balnea vitat.  
Nanciscentur enim precium, nomenq; poëta.  
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam  
Tonfiori Licino commiserit. O ego lævus,  
Qui purgor bilem sub verni temporis horam,  
Non alius faceret meliora poëmata: verum  
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum  
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.  
Munus & officium, nil scribens ipse, docebo,  
Unde parentur opes: quid alat, formetq; poëtam,  
Quid deceat, quid non: quò virtus, quò ferat error.

III. Quot tractat in Arte seu doctrina?

Tria. Unde parentur, A quibus discenda  
fit, Quod sit officium poëtae.

Unde paratur?

Ex philosophia, præcipuè verò ethica &  
politica.

Scribendi rectè sapere est & principium & fons.

Rem tibi Socraticæ possunt ostendere chartæ:

Verbaq; prævisam rem non invita sequentur.

Qui didicit patriæ quid debeat & quid amicis,

Quo sit amore parens, quò frater amandus &  
hospes:

Quod sit conscripti, quod iudicis officium: quæ

Partes in bellum missi ducis: ille profectò

Redde-

## DE POETICA.

Reddere personæ scit convenientia cuique.  
Respicere exemplar vitæ, morumque jubebo  
Doctum imitatore, & vivas hinc ducere voces.  
Interdum speciosa locis, morataque rectè  
Fabula nullius Veneris, sine pondere & arte,  
Valdius oblectat populum, meliusq; moratur,  
Quàm versus inopes rerum, nugæq; canora.

*A* quibus petenda est rerum cognitio?

A Græcis, quibus tribuit σύνεσις & ἐρμηνεία &  
amorem laudis, quem comparat cum amore  
pecuniæ in Romanis.

Græcis ingenium, Græcis dedit ore rotundo  
Musa loqui, præter laudem nullius avaris.  
Romani pueri longis rationibus assent  
Discunt in parteis centum diducere: dicat  
Filius Albini, si de quincunce remota est  
Uncia, quid superat? poteris dixisse, triens. oh  
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?  
Semis. Ad hæc animos ærugo & cura peculi  
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi  
Posse linenda cedro & levi servanda cupresso?

*Q*uodnam est officium poëtæ?

Duplex eius officium est, Docere aut Mo-  
vere.

*A*ut prodesse volunt, aut delectare poëtæ:  
*A*ut simul & jucunda & idonea dicere vitæ.

*Q*uænam sunt præcepta de docendo?

Primum est de brevitate & eius duplici  
fine, intelligentia & memoria: ac contrariæ  
proli-

## DE POETICA.

prolixitatis inutilitate. Officit enim memoria, & manat, id est, effluit ex pectore.

*Quicquid precipies, esto brevis: ut citò dicta*

*Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.*

*Omne supervacuum pleno de pectore manat.*

Secundum est de fictione, cuius finis est voluptas, & adjunctum verisimilitudo.

*Ficta voluptatis causa, sint proxima veris:*

*Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi.*

*Neu pranse Lamiae vivum puerum extrahat alvo.*

Tertium est de conjungenda jucunditate fabulae cum utilitate. Nam seniores negligunt utilitatis expertia: juniores autem negligunt injucunda. Ratio autem illius conjunctionis quadruplex est, ex laude, ex questu bibliopolarum, ex celebritate, ex diuturnitate memoriae.

*Centuria seniorum agitant expertia frugis:*

*Celsi praetereunt austera poemata Rhamnes.*

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

*Lectorem delectando pariterq; monendo,*

*Hic meret ara liber Sosis, hic & mare transit,*

*Et longum noto scriptori prorogat ævum.*

Quartum de iudicii æquitate, qua vitiis quibusdam ignoscendum docet, si rara sint: e contra crebrius peccanti ignoscendum non esse.

*Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.*

*Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus & mens,*

*Poscen-*



DE POETICA.

Poscentique gravem persapè remittit acutum :  
 Nec semper feriet, quodcunque minabitur, arcus.  
 Verùm ubi plura nitent in carmine, nō ego paucis  
 Offendar maculis, quas aut incuria fudit,  
 Aut humana parum cavit natura: quid ergo?  
 Ut scriptor si peccat idem librarius usque,  
 Quamvis est monitus, venia caret: & citharædus  
 Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.  
 Sic mihi qui multum cessat, sit Chœrilus ille,  
 Quem bis, terq; bonum cum risu miror: & idem  
 Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus:  
 Verùm opere in longo fas est obrepere somnum.

Quintum est de qualitate poëmatis, ut scilicet sit gratum, instar picturæ. Sic enim Simonides (ut refert Plutarchus) ζωγραφίαν ποίησιν σιωπᾶσαν, πλὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλῶσαν vocavit.

Ut pictura poësis erit: quæ si propius stes,  
 Te capiet magis: & quedam si longius abstes.  
 Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,  
 Indicis argutum quæ non formidat acumen.  
 Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Debet autem & excellens perfectumque esse, non mediocre: idque illustratur dissimili & simili. Dissimilitudo hæc est. In aliis rebus mediocritas laudatur: ut Iureconsultus & causidicus, etsi non sit tam eloquens, quàm Messala Corvinus fuit, nec habeat tantam juris cognitionem, quantam A. Cassellius:

D E P O E T I C A.

lius: in aliquo tamen numero Iureconsulto-  
rum est. At mediocris poëta esse non potest.

*O major juvenum, quamvis & voce paterna  
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum  
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus  
Rectè concedi, Consultus juris & actor  
Causarum mediocris, abest virtute disertis  
Messala: nec scit, quantum Casselius Aulus:  
Sed tamen in precio est. Mediocribus esse poëtis,  
Non homines, non Dii, non concessere columna.*

Similitudo verò hæc est. Sicut cœna,  
quæ vult aures, nares, & palatum delectare,  
ingrata est, nisi id excellenter faciat: ita poë-  
ma ingratum est, si à perfectione discedit ad  
imum.

*Ut gratas inter mensas symphonia discors,  
Et crassum unguentum & Sardo cū melle papaver  
Offendunt: poterat duci quia cœna sine istis:  
Sic animis natum, inventumq; poëma juvantis,  
Si paulum summo discessit, vergit ad imum.*

Sextum, quinam scribere debeant: periti  
scilicet artis, idque à minori. Ad ludum ne-  
mo imperitus accedit, multò minus ad poe-  
ma scribendum imperiti debent accedere.  
Nec verò quicquam ad poema confert nobi-  
litas, divitiæ aut virtus, sed ars seu Minerva.

*Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,  
Indoctusq; pile, discive, trochive quiescit:  
Ne spissa risum tollant impune corona.*

*Qui nescit, versus tamen audet fingere, quid ni?*

Liber

## DE POETICA.

*Liber & ingenuus, praesertim census equestrem  
Summam nummorum, vitioq; remotus ab omni.  
Tu nihil invita dices, faciésve Minerva.*

Septimum, quomodo scribendum: Adhibendos nimirum esse censores & iudices: deinde carmen diu premendum, nec statim edendum.

*Id tibi iudicium est, ea mens: si quid tamen olim  
Scripseris, in Metii descendat iudicis aures,  
Et patris & nostras: nonnumq; prematur in annum.*

*Membranis intus positis delere licebit,  
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.*

Octavum de argumentis scribendi poematis. Sunt autem argumenta aut seria aut jocosa. Seria rursus aut philosophica, aut bellica, aut theologica, aut historica. Idque illustrat exemplis antiquissimorum poetarum, Orphei, Amphionis, Homeri, Tyrtæi: & μυθολογίαν ἰσοεκάως explicat.

*Sylvestres homines sacer, interpretésq; Deorum  
Cedibus & victu fædo deterruit Orpheus,  
Dicitur ob hoc lenire tigreis, rapidosq; leones:  
Dicitur & Amphion Thebanæ conditor arcis  
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda  
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam,  
Publica privatis secernere, sacra profanis:  
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis:  
Oppida moliri, leges incidere ligno.*

Sic

## DE POETICA.

Sic honor & nomen divinis vatibus, atque  
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,  
Tyrtæusque mares animos in Martia bella  
Versibus exacuit. Dicta per carmina sortes,  
Et vitæ monstrata via est: & gratia regum  
Pieriis tentata modis, ludusq; repertus.  
Et longorum operum finis, ne forte pudori  
Sit tibi Musa lyre solers & cantor Apollo.

Haftenus de causis poëseos simpliciter  
dictum est: Sequitur nunc illarum inter se  
comparatio: ubi observanda est quæstio &  
quæstionis explicatio per syllogismum.

Quæ inter se conjurarunt, eorum alte-  
rum sine altero nihil prodest.

At natura, ars, exercitatio inter se conju-  
rarunt.

Horum ergo unum sine altero nihil pro-  
dest.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,  
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena,  
Nec rude quid profit video ingenium: alterius sic  
Altera poscit opem res, & conjurat amicè.  
Qui studet optatam cursu contingere metam,  
Multa tulit, fecitq; puer: sudavit, & alfit.  
Abstinnit Venere & Baccho: qui Pythia cantat  
Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.  
Nunc satis est dixisse, ego mira poemata pango.  
Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est,  
Et quod non didici, sanè nescire fateri.

DE VI-

DE POETICA.  
DE VITIIS POETÆ  
FUGIENDIS.

*Quenam vitia sunt poëta fugienda?*

In primis adulatio & φιλαυλία. Adulationi præcipuè patent divites. Est autem dissimilitudo: Divites in poëmate suo judicando adhibent assentatores. At verus poëta non adhibet tales. Protasis constat primo similitudine præconis, qui emtores in auctione cogit spe lucri. Deinde descriptione divitum, primo ex adjunctis agris & pecunia fœnebri. Deinde factis, qui lauta convivia instruere, pro pauperibus fide jubere, reos ex periculis liberare possunt. Tertio ex adjuncta ignorantia veri & ficti amici.

*Ut præco ad merceis turbam qui cogit emendas,  
Assentatores jubet ad lucrum ire poëta,  
Dives agris, dives positus in fœnore nummis.  
Si vero est, unctum qui rectè ponere possit  
Et spondere levi pro paupere, & eripere atris  
Litibus implicitum, mirabor si sciet inter  
Noscere mendacem, verumq; beatus amicum.  
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui,  
Nolito adversus tibi factos ducere plenum  
Letitiæ: clamabit enim pulchrè, benè, rectè:  
Pallefcet super his, etiam stillabit amicis  
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram,  
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt*

F

Et

D E P O E T I C A.

*Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic  
Derisor vero plus laudatore movetur.*

*Quomodo explorantur adu-  
latores?*

Vino. Nam, ut proverbio dicitur, in vino  
veritas: & Quod in mente sobrii, id in lingua  
ebrii: ὃ ἐν τῇ καρδίᾳ νήφοντι, ἔστι ἐν τῇ γλώττῃ μεθύοντι.

Et Theognis,

Ἐν πυρὶ μὲν χρυζόν τε καὶ ἀργυρον ἴδριες ἄνδρες  
Γινώσκουσ', ἄνδρὸς δ' οἶνον ἔδιδξε νόον.

*Reges dicuntur magnis urgere culullis,  
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,  
An sit amicitia dignus: si carmina condas,  
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes,*

*Quales censores sunt sumendi?*

Boni & prudentes, qualis est Quintilius.  
Officium autem boni & candidi censoris est  
repræhendere, culpæ, ὀβελίζειν, recidere, illu-  
strare, arguere, notare, exemplo Aristarchi.

*Quintilio si quid recitares, corrige sodes  
Hoc agebat ἔ hoc: melius te posse negares,  
Bis, terq; expertum frustra, delere jubebat,  
Et malè tornatos incudi reddere versus.  
Si defendere delictum, quàm vertere malles,  
Nullum ultra verbum aut operam sumebat  
inanem,*

*Quin sine rivali teque ἔ tua solus amares.*

*Vir bonus ἔ prudens versus repræhendet inertes  
Culpa-*

## DE POETICA.

Culpabit duros, incomitis allinet atrum,  
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet  
Ornamenta: parum claris lucem dare coget,  
Arguet ambiguum dictum, mutanda notabit:  
Fiet Aristarchus: nec dicat, cur ego amicum  
Offendam in nugis? hæc nuga seria ducent  
In mala derisum semel, exceptumq; sinistrè.

Quenam seria mala sequuntur ex  
adulatione?

Duo. Contemptus & Neglectus. Con-  
temptum illustrat simili:

Ut mala quem scabiis, aut morbus regius urget,  
Aut phanaticus error, & iracunda Diana,  
Uesanum tetigisse timent, fugiuntq; poetam,  
Qui sapiunt: agitant pueri, incautiq; sequuntur.

Neglectum etiam poetarum insanorum,  
quos nemo auxilio dignetur, etiam si implo-  
rent opem, similitudine aucupis itidem illu-  
strat:

Hic dum sublimeis versus ructatur, & errat:  
Si veluti merulis intentus decedit auceps  
In puteum, foveamve. licet succurrite longum  
Clamat iò cives, non sit qui tollere curet.

Quòd si quis sit, qui tali succurrere velit;  
eum ait Horatius se velle deterrere ex causa  
efficiente & exemplo Empedoclis, cuius de-  
scriptio est ex conditione (fuit enim poeta)  
ex patria Sicilia, ex infano studio gloriae, ex  
genere mortis.

## DE POETICA.

*Si quis curet opem ferre & demittere funem :  
Qui scis, an prudens huc se dejecerit ? atque  
Servari nolit ? dicam : Siculiq<sup>3</sup> poëta  
Narrabo interitum : Deus immortalis haberi  
Dum cupit Empedocles, ardentē frigidus Aetnam  
Insiluit : sit jus, liceatq<sup>3</sup> perire poëtis.  
Invitum qui servat, idem facit occidenti.  
Nec semel hoc fecit : nec si retractus erit, jam  
Fiet homo, & ponet famosa mortis amorem.*

Causam insanæ ambitionis efficientem  
ponit iram Deorum ex aliquo delicto, cuius  
hîc species ponuntur impietas in parentes &  
sacrilegium.

*Nec satis apparet, cur versus factitet : utrum  
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental  
Moverit incestus : certè furit : ac velut ursus  
Objectos caveæ valuit si frangere clathros,  
Indoctum, doctumq<sup>3</sup> fugat recitator acerbus :  
Quem verò arripuit, tenet, occiditq<sup>3</sup> legendo.  
Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.*

FINIS POETICAE.

LOGI.



LOGICA,  
AD VSV M  
RVDIORVM IN  
EPITOMEN RE-  
DACTA:


PER

*D. Joan. Thomam Freigium.*



F 3 TYPVS

# TYPVS LOGICÆ.



DE



## DE LOGICA.

*Quid est Dialectica seu Logica?*

Est ars benè differendi: quod fit rectè definiendo, dividendo, argumenta vera connectendo, & falsa refutando.

*Quodnam est opus proprium seu officium Dialecticae?*

Benè differere, id est, rectè, ordine & perspicuè alios de rebus magnis (ut de agnitione Dei, de virtutibus, de natura rerum, aliisque) docere.

*Unde dicitur Dialectica, seu quanam est eius etymologia?*

Dicitur à Græco verbo *διαλέγεσθαι*, id est, colloquium alio collatis opinionibus. Latini usurpant verba disputandi & differendi.

*Quodnam est subjectum Dialectices?*

Subjectum dialectices, circa quod versatur & occupatur, est τὸ ὄν ἔμμη ὄν, ens & non ens, ut ait Aristoteles. Versatur enim circa omnes materias seu quæstiones, de quibus docendi sunt homines.

*Quot sunt considerata in Logica?*

Duo. Partes eius & Usus.

F 4

Quot

## DE LOGICA.

*Quot sunt partes Dialecticæ?*

Duæ, Inventio, Τοπή: & Iudicium, Κριτήριον.

## DE INVENTIONE.

*Quid est Inventio?*

Est prima pars Logicæ, quæ docet quomodo res investigandæ sint, aut proposito rerum cumulo docet eligere ea, quæ præsentem materiam seu quæstionem probat aut illustrant.

*Quot sunt consideranda in Inventione?*

Duo. Quæstio & Loci.

*Quotplex est quæstio?*

Duplex. Simplex aut Conjuncta.

*Quid est simplex?*

Est quæ propriè interrogatio dicitur: videlicet quæ est de uno vocabulo: ut quid sit virtus, quid pœnitentia, quid poeta, quænam causæ sint poetam facientes &c.

*Quid est Conjuncta?*

Cum de oratione aliqua aut propositione quæritur. Vt an virtus sit habitus: an Archias poeta sit à civibus Romanis segregandus.

DE

DE LOGICA.

DE LOCIS.

*Quid est Locus?*

Est sedes argumenti, & velut index, monstrans ex quo fonte sumendum sit argumentum, quo confirmanda est Quæstio.

*Quid est Argumentum?*

Est probabile inventum ad fidem faciendam.

*Quomodo differt inventio à  
judicio?*

Inventio suppeditat materiam differendi: judicium vero formam. Nam in judicio inventa argumenta disponuntur & connectuntur, ut de rebus propositis rectè judicari possit. Itaquæ dicitur etiam dispositio, à forma: & judicium à fine.

*Quot sunt in universum loci Inventionis Topice?*

Decem. Causa, Effectus, Subjectum, Adjunctum, Dissentanea, Comparata, Nomen, Distributio, Definitio, Testimonium.

*Sufficiuntne hi loci omnibus rebus  
edifferendis?*

Sufficiunt sanè. Nam ex iisdem locis tam vera argumenta & necessaria, quàm probabilia & falsa etiam sumuntur. Nequaquam igitur alii loci necessariis rebus, alii probabi-

## DE LOGICA.

babilibus, alii falsis propositi sunt: sed ex uno eodemque loco causarum, unus necessarias, alius probabiles, alius denique falsas causas sumere potest: & sic de aliis locis.

*Quenam vocas necessaria?*

Quibus, rectè cognitis mens assentiri cogitur, vel propter evidentiam, vel propter demonstrationem, vel propter universalem experientiam, aut testimonia non fallentia.

*Quenam vocas probabilia?*

Quibus, rectè cognitis, assensio suspenditur: aut etiam si propter concinnitatem magis inclinamus in unam partem, tamen languida est assensio.

*Quenam vocas falsa?*

Quæ non congruunt cum rebus: quorum alia manifestè vana sunt: alia speciem veri habent, & magno cum applausu excipiuntur.

## DE CAUSIS.

*Cur causas ponis primo loco?*

Quia veram & necessariam scientiam nobis proponunt: Nam Aristoteles, scire, inquit, est rem per causas cognoscere, per quas res est: & cognoscere eas esse huius rei causas, & hoc aliter se habere non posse. Itaque idem non vocat eam scientiam quæ est ex causis: at  
eam

## DE LOGICA.

eam quæ ex effectis est vocat<sup>ur</sup>. Deinde omnibus modis Prioris causæ reliquos locos antecedunt.

*Quot sunt modi Prioris?*

Quatuor. Prius enim dicitur vel Tempore, vel Natura, vel Ordine, vel Dignitate. Sic arbor tempore prior est pomo, & Romulus Augusto. Sic Causa ordine naturæ prior est effectui. Sic unitas ordine prior est binario, & linea figuris, & in syllogismo præmissæ priores sunt conclusionem. Sic denique Consul dignitate prior est senatore.

*Quot sunt genera causarum?*

Quatuor. Efficiens, Materia, Forma, Finis.

## DE EFFICIENTE.

*Quid est efficiens causa?*

Est à qua primò fit motus, id est, quæ principaliter agit ut aliud efficiat. Eius magna varietas est.

*Potestne illa varietas in certa genera distingu?*

Potest, & ea quidem plura: sed nos præcipua sumemus.

*Quenam est prima divisio cause efficientis?*

Efficiens alia est procreans, ut pater, mater. Alia conservans, ut nutrix.

*Quenam*

## DE LOGICA.

### *Quenam est secunda?*

Efficiens alia est absoluta & principalis: quæ & dignior est & plus agit. Alia adjuvans, & minus principalis, cuius dignitas minor est & actio languidior. Ut in poeta plus agit naturalis vis quàm ars. Natura igitur principalis causa est: ars & exercitatio sunt causæ adjuvantes, & ut Græci vocant, *συναιτιαι*, quæ Plato vocat causas sine quibus non: *αἴτια ἂν σὺν ἴσθι*. Ad causam adjuvantem referuntur & instrumenta & organa.

### *Quenam est tertia?*

Efficiens alia efficit per se, alia per accidens.

### *Quotplex est causa efficiens per se?*

Duplex. Naturalis & Voluntaria.

### *Quid est Naturalis?*

Quæ vi insita naturæ agit, non deliberatione aliqua, nec potest suspendere actionem admota materia. Ut cum venæ in corpore sano, consumto nutrimento fugunt inanem ventriculum, natura ventriculus appetit cibum & potum.

### *Quid est Voluntaria?*

Quæ deliberatione agit, & cum habeat libertatem aliquam, potest suspendere actionem

nem



## DE LOGICA.

nem admota materia. Ut homo potest imperare manibus, ne poculum ori admoveant.

### *Quanam efficiunt per Accidens?*

Necessitas & Fortuna. Sic quod piscatores Milesii invenerunt tripodem aureum: causa per accidens fuit piscatio: hunc eventum comitatur alius, quem nec cogitaverant, nec necesse erat accedere. Sub fortuna comprehendimus casum. Cumque non necesse sit causis per accidens respondere effectus seu eventus, non ducuntur à causis per accidens firma argumenta.

## DE MATERIA.

### *Quid est Materia?*

Est causa, ex qua aliquid fit. Ut ex farina fit panis, ex elementis fiunt mixta corpora. Secundum philosophos accidentia non habent materiam ex qua fiant: sed tantum substantiæ. Abusive etiam materiam vocant subjectum, cui tribuuntur adjuncta vel accidentia: vocantque materiam in qua: sicut objectum, materiam circa quam.

## DE FORMA.

### *Quid est Forma?*

Est causa quæ dat esse rei. Est enim ipsa rei consummatio seu quasi exædificatio, qua  
res

## DE LOGICA.

res talis est. Vt figura navis aut domus ex-  
ædificatæ, est ipsa forma.

## DE FINE.

*Quid est Finis?*

Est causa cujus gratia res est. Vt finis cal-  
cei est munire pedem : finis navis est, ut trans-  
vehat res quibus indigemus. Et ad causam  
finalem pertinet locus Rhetoricus ab utili.

## DE REGULIS CAUSA- RUM IN GENERE.

*Quenam sunt regulæ de causis  
in genere?*

I. Nihil fit sine causa, *ἄνευ αἰτίας.* Plato  
in Timæo.

II. Posito effectu, necesse est causam esse  
vel fuisse.

III. Causa præcedit effectum ordine na-  
turæ. Vt sol prior est sparsione radiorum.

*Quenam sunt regulæ cause ef-  
ficientis:*

I. Positis causis naturalibus sufficienti-  
bus & non impeditis, si sit admota materia,  
sequitur necessario effectus. Vt epar multos  
crudos succos attrahit in ebriosis, qui non  
possunt concoqui. Igitur calor & virtus epa-  
tis languescet & paulatim epar putrescet.

II. Natu-

## DE LOGICA.

II. Naturalis causa uno & eodem modo agit: etsi in diversis subjectis videntur dissimiles effectus: sic solis calor idem, liquefacit ceram, quæ est aërea: & indurat lutum, quod sua natura siccum est: unde illud poëtæ,

*Limus ut hic durefcit & hæc ut cera liquefcit  
Uno eodemq; igni.*

Et Aristoteles de vino ait: οἶνον τοῖς τρόποις τῶν ζῶντων κεράννεται.

III. Voluntaria causa potest cessare & agere dissimiliter.

IV. Voluntatis divinæ, quæ est immutabiliter bona, omnes effectus boni sunt.

V. Voluntatis humanæ, quæ est mutabilis, effectus sunt dissimiles.

VI. In causis impossibile est progredi in infinitum: itaque necesse est perveniri ad unam primam.

VII. A causis per accidens non valet consequentia. Vt, venit in iudicium: ergo odit adversarium: id enim non est necessarium.

### *Quenam sunt regulæ causæ materialis?*

I. Cui adimitur materia: illi adimuntur & partes & accidentia propria eius materiæ. Vt, stellæ non sunt ex elementis: ergo nullæ sunt

## DE LOGICA.

sunt partes terrestres in stellis, nec aluntur vaporibus.

II. Diversæ materiæ variant rerum dignitatem. Sic thorax aureus est preciosior ferreo.

### *Quenam est regula formæ?*

Posita forma, ponitur res ipsa. Nam cum forma ponitur, necesse est materiam & efficientem præcessisse. E contra ubi non est forma, ibi nec res est eius speciei, cuius est illa forma specifica. Ut stellæ non habent animas: igitur non sunt animalia.

### *Quenam sunt regulæ causæ finalis?*

I. Omnes res in tota natura conditæ sunt ad finem aliquem. ἅδεν γὰρ ἢ φύσιν μάτην ποιεῖ, ut Aristoteles ait.

II. Vnius rei possunt multi esse fines.

III. Propter quod unumquodque tale, ipsum magis tale, Ut:

Avarus appetit navigationem propter pecuniam.

Ergò pecuniam magis appetit.

## DE EFFECTIS.

### *Quid est Effectus?*

Quod ex causa existit. Usitatissima autem sunt

## DE LOGICA.

tem sunt argumenta in tota vita ab effectibus ducta. Sic ex opificio huius mundi, ex mirando ordine corporum cœlestium, elementorumque agnoscimus Deum, hoc est, ex effectis primam causam cognoscimus: quod dicitur  $\varphi \frac{1}{2}$ . Et huc pertinet Categoria Actionis cum sex speciebus.

### *Quenam est regula de effectis?*

Effectu posito, necesse est causas proprias esse vel fuisse.

## DE SVBIECTO.

### *Quid est subiectum?*


Cui aliquid adjungitur. Et huc pertinet substantiæ categoria: nam cum causæ omnes sunt positæ (de quibus hætenus diximus) tum sequitur essentia seu natura: quæ à Logicis subiectum dicitur: & materia in qua, abusive: scilicet in qua hæreant accidentia seu adjuncta. Huc pertinet & materia, quam vocant circa quam, id est objectum, circa quod occupatur aliquid.

G

Quis

DE LOGICA.

Quis est ordo substantiarum?



## DE LOGICA.

### *Quenam sunt appellationes substantiæ?*

Aristoteles usus est nomine *ἐστία*, quo vocabulo res tota suis causis constituta significatur: & sic ecclesia nomine *ἐστίας* etiam utitur pro essentia. Verum utitur & nomine *ἕως ἑαυτῆς*, quod personam significat, hoc est, individuum intelligens & incommunicabile. Ut cum dicit tres esse *ἕως ἑαυτῆς* seu personas divinitatis.

### *Quenam pertinent præterea ad Subjectum?*

Categoria Vbi seu Locus: item passibiles qualitates, ut vocant.

### *Quid est Locus?*

Est spacium continentis corporis, cedentis contento. Ut cum in aqua collocas cantharum, spacium cedens dicitur locus.

### *Quas vocas passibiles qualitates?*

Propria sensuum subjecta. Nam subjecta propria visus, sunt lux & color: auditus, soni, ut vox, oratio, verba singula: olfactus, odores: gustus, sapor: tactus, qualitates tam primæ, ut calor, frigus, humor, siccitas: quàm secundæ & à primis ortæ, ut asperum, læve, grave, leve &c.

### *Quenam sunt regulæ subjecti & loci?*

I. Accidentia non possunt esse sine subjecto. Itaq; destructo subjecto, accidentia etiam intereunt. Ut oculo corrupto, extinguatur visio.

## DE LOGICA.

I I. Posito corpore aut alia quacunque re finita, necesse est ei locum attribui.

III. Nulla res finita est sine certo loco. Item: Vnum corpus, seu una res finita, non est simul in pluribus locis: & absentis membra nihil agunt in eo loco unde absunt. Vt, Cicero non est Romæ cum Iulius interficitur. Non igitur sua manu interfecit Iulium.

## DE ADIUNCTO.

*Quid est Adjunctum?*

Cui aliquid subicitur. Habent enim inter se mutuam quandam affectionem & relationem, subjectum & adjunctum, seu substantia & accidens: sicut causa & effectum.

*Quanam pertinent ad hunc locum adjunctorum?*

Copiosus & amplus locus est: completitur enim sub se omnes fere categorias, præter substantiam, ut quantitatem, qualitatem, quando seu tempus, passionem, situm, habitum: item proprium & accidentia: denique connexa seu circumstantias & adjacentia.

*Quotuplicia igitur sunt adjuncta?*

Duplicia. Propria seu perpetua & Communia.

*Quid est Proprium adjunctum?*

Est inclinatio aut quiddam adjacens, quod uni soli speciei semper & omnibus individuis



## DE LOGICA.

duis eius inest: & dicitur etiam Adjacens, & proprium quarto modo: nam tres reliqui modi, sunt ex adjunctis communibus.

*Da exempla adjuncti proprii?*

Vt in homine est proprietas numerandi, loquendi, differendi, discendi. In animalibus sua quoque proprietas est: ut in leone rugiendi, in urso uncandi, in apro frendendi, in cervo glocitandi, in tauro mugiendi, in equo hinniendi, in ove balandi, in capra mutiendi, in angue sibilandi. In avibus similiter propriæ quædam affectiones insunt, ut in turdo trutilandi, in perdice cacabandi, in cygno drenfandi, in gallo cucuriendi, in corvo crocicandi, in ciconia glotorandi, in passere pipiendi, in cuculo cuculandi, in cicada fritinniendi, in ape bombillandi, in vespertilione stridendi. Hinc vulgare illud, Ex cantu & plumis, id est, ex adjunctis agnoscitur avis.

*Quid est Adjunctum commune?*

Quod non per se subsistit, nec est pars substantiæ: sed in alio est mutabiliter: & vulgo vocatur accidens.

*Quotplex est Accidens?*

Duplex. Separabile, ut frigus ab aqua, notitia à mente, lætitia & tristitia à corde: & Inseparabile, ut magnitudo à substantia corporea, calor ab igni, humor ab aqua.

*Quid comprehendit Accidens?*

Comprehendit Quantitatem, Qualitatem, Tempus, Passionem, Situm, Habitum.

G 3 Cur

## DE LOGICA.

*Cur inter Accidentia Quantitatem  
primo loco ponis?*

Quia naturam seu substantiam, ex causis  
suis constantem, seu subjectum seu speciem:  
mox numerus comitatur: & magnitudo ita  
inhæret substantiis corporeis seu subjecto, ut  
nunquam prorsus eam exuat substantia: cum  
è contra multæ qualitates amittantur.

*Quotuplex est quantitas?*

Duplex: Numerus & Magnitudo.

*Quid est Numerus?*

Est quantitas discreta: seu multitudo ex  
unitatibus collecta.

*Quid est Magnitudo?*

Est quantitas continua.

*Quot sunt Magnitudinis species?*

Tres: Linea, Superficies, Corpus.

*Quid est Qualitas?*

Est adjunctum, secundum quod quales  
dicimur.

*Cur secundum adjunctum ponis  
qualitatem?*

Initium est in causis, quæ concurrunt ad  
substantiam seu subjectum constituendum:  
postea substantia discernitur numero, & ve-  
stitur magnitudine: nunc cum de qualitati-  
bus dicitur, attribuitur ei efficacia. Substan-  
tiæ

## DE LOGICA.

tiæ enim non sunt ociosæ: itaque hîc recensentur *δυναμεις, εἴδεις, πάθη.*

*Quot sunt species qualitatis?*

Quatuor. 1. Habitus. 2. Naturalis potentia. 3. Passio. 4. Forma seu figura.

*Quid est habitus εἴδεις?*

Est qualitas, comparata ex crebris actionibus in hominibus, qua rectè & facile homines efficere illas actiones possunt, quæ à suo habitu gubernantur.

*Potestne in omnibus naturis fieri habitus?*

Non: sed tantum in rationali natura, quia illa duntaxat assuefieri potest.

*Quenam sunt cause perfecti habitus?*

Tres sunt. Natura, Ars & Exercitatio. Natura enim hominum est talis, ut alia ad alias artes seu virtutes impetus & motus naturales habeat. Deinde arte & doctrina/excitati naturales impetus, citius arripiunt habitum. Deniq; exercitatio hæc omnia perficit.

*Quotuplex est habitus?*

Duplex. Corporis aut Animi. Corporis habitus sunt palæstrica, saltatoria, jaculatoria.

*Quotuplex est habitus Animi?*

Duplex. Intellectus & Voluntatis.

G 4 Pro-

DE LOGICA.

Propone hac mihi τῶν κῶς?

Corporis.

Habitus sunt aut

Animi

Voluntatis

Intellectus:  
quorū genus  
est Notitia:  
quæ est vel

Objecti simplicis: ut re-  
cordatio Caroli Imp.

Proposi-  
tionum:  
eaq; vel

Certa: ut

Notitia  
princi-  
piorum.  
Scientia.  
Ars.  
Prudentia  
Fides.

Incerta: ut  
Opinio.

Boni: ut  
Virtutes

Ecclesi-  
astica

Fides.  
Spes.  
Dilectio.  
Timor Dei.  
Tolerantia.

Philoso-  
phica

Iustitia.  
Veritas.  
Modestia.  
Fortitudo.  
Gratitudo.  
Sedulitas.  
Amicitia.

Mali: ut Vitia.

Quid est notitia Principiorum?

Est agnitio principiorum & axiomaticum,  
quæ

## DE LOGICA.

quæ luce mentis nobiscum nascuntur: quæ  
firmo assensu amplectimur, naturali & νοητικῷ  
judicio, sine confirmatione. Vt, totum ma-  
jus est sua parte: Quodlibet est non est.

### Quid est Scientia?

Est notitia vera conclusionum, quibus  
propter demonstrationem, judicio Διανοητικῷ  
assentimur. Vt, huic propositioni, Cælum  
est finitum, assentimur propter syllogismi ju-  
diciū Διανοητικόν: Nam

Omne corpus est finitum.

At cælum est corpus.

Cælum igitur finitum est.

### Quid est Ars?

Est ordo certarum propositionum, exer-  
citatione cognitarū ad finem utilem in vita.  
ἔστι σύστημα καλαλήθειων ἐξηγουμενων, πρὸς τὸ τέλος ἕνε-  
ργησον ἐν βίῳ.

### Quid est Prudentia?

Est notitia vera, quæ secundum rectam  
rationem regit deliberationes in electione  
honestarum actionum & rerum utilium.

### Quid est Fides?

Est notitia propositionum certarum,  
quas firma assensione amplectimur, propter  
asseverationem testium veracium.

G 5

DE

D E L O G I C A.  
D E V I R T V T I B V S E C-  
C L E S I A S T I C I S.

*Quid est Fides?*

Est notitia, qua firmo assensu amplectimur totam doctrinam à Deo traditam ecclesiæ, & in hac etiam promissionem reconciliationis.

*Quid est Spes?*

Est expectatio auxilii divini, & vitæ æternæ.

*Quid est Dilectio?*

Est obedientia debita præceptis Dei in vera & fide & cum quadam lætitia.

*Quid est Timor Dei?*

Est habitus, qui inclinatur ad expavescendum agnitione iræ Dei & pœnarum. Hic duplex est: Servilis, cum non accedit fides, quæ corda in pavore eriguntur: & Filialis, cum fides accedit.

*Quid est Tolerantia?*

Est virtus obediens Deo in ærumnis.

D E V I R T V T I B V S  
P H I L O S O P H I C I S.

*Quotuplex est Iustitia?*

Duplex. Universalis aut Particularis.

*Quid*

DE LOGICA.

*Quid est universalis?*

Est obedientia erga leges.

*Quid est Particularis?*

Est constans & perpetua voluntas suum  
cuique tribuens.

*Quid est Veritas?*

Est virtus, quæ inclinat voluntatem, ut  
veras sententias amet, vera constanter dicat:  
& in ipsa vita vitet occultationes & simula-  
tiones.

*Quid est Modestia?*

Est virtus, quæ inclinat nos, ut in opinio-  
ne de nobis, in sermone, in gestibus servemus  
convenientiam.

*Quid est Fortitudo?*

Est virtus propugnatrix iustitiæ.

*Quid est Gratitude?*

Est virtus, quæ profitetur verè se aliunde  
beneficium accepisse, & ideo se obligari vicif-  
sim ad alia officia. Itaque complectitur duas  
virtutes, Veritatem & Iustitiam.

*Quid est Sedulitas?*

Est virtus, quæ inclinat nos, ut nostrum  
officium rectè faciamus. Eius duo sunt extre-  
ma, Ignavia & Πολυπραγμοσύνη.

*Quid est Amicitia?*

Est virtus, quæ pro vera benevolentia red-  
dit veram benevolentiam.

DE

D E L O G I C A.  
D E S E C V N D A S P E -  
C I E Q V A L I T A T I S.

*Quid est Naturalis potentia?*

Est vis non accersita aut arte in substan-  
tias transfusa, sed in eis nata, ut sit causa cæ-  
terarum actionum.

*Da exempla Naturalis δυνάμεις?*

In animali est δυνάμεις sentiendi, videndi,  
audiendi: in nervis est potentia movendi: in  
ventriculo est potentia vertendi cibum in  
chylum: in corde est potentia gignendi spi-  
ritum ex sanguine: in Magnete est potentia  
trahendi ferrum: in vino est δυνάμεις calefa-  
ciendi & nutriendi corpora. Huc pertinet  
& *φύσιν φυσικήν*, id est, naturalis benevolentia in  
cognatos.

*Da exempla Naturalis ἀδυναμίας?*

Olea moritur quercui insita. Balsami li-  
gnum moritur ferro attrectatum. Vulpes mo-  
ritur manducatis amaris amygdalis. Huc  
pertinet Concupiscentia.

D E T E R T I A S P E C I E  
Q V A L I T A T I S.

*Quotuplex est Passio seu Affectus,  
Græcè πάθος?*

Duplex. Cordis & Corporis.

*Quid*



## DE LOGICA.

### *Quid est Affectus Cordis?*

Est motus, qui sequitur cognitionem: quo motu cor aut prosequitur aut fugit obiectum.

### *Quot sunt species Affectuum?*

Quatuor: Lætitia, Spes, Tristitia, Metus.

### *Quid est Lætitia?*

Est suavis motus cordis, qui excitatur cum cor objecto expetito fruitur.

### *Quid est Spes?*

Est suavis motus cordis, qui excitatur cum cor bonum futurum prosequitur.

### *Quid est Tristitia?*

Est cruciatus cordis compressi, tanquam fugitantis præsens malum.

### *Quid est Metus?*

Est cruciatus cordis compressi, tanquam fugitantis futurum malum.

## DE QUARTA SPECIE.

### *Quid est Figura?*

Est modus aut positus Quantitatum: ut circulus, triangulum, quadrangulum.

DE

D E L O G I C A.  
D E D I S S E N T A -  
N E I S.

*Quottuplicia sunt Dissentanea?*

Duplicia: Nam aut ratione tantum dissentiunt, aut re & ratione simul. Et hinc orta est duplex distinctio, Rationalis & Realis.

*Quid est distinctio Rationis?*

Cum cogitatio nostra aut voluntas facit discrimen in re una & eadem: ut unus & idem aër est superior & inferior: superior terra & inferior luna. Sic idem Roscius, aliàs est Palamedes, aliàs Vlysses. Et hæc distinctio rationis peperit locum dialecticum à diversis. Diversa enim sunt, quæ ratione tantum dissentiunt.

*Quid est distinctio Realis?*

Est rerum diversitas, non imaginatione tantum facta, aut à voluntate nostra instituta: sed ex re ipsa profecta. Sic realiter aqua à frigore, anima à notitia, virtus à vitio distinguitur. Et hæc distinctio realis locum dialecticum Oppositorum peperit.

*Quottuplicia sunt Opposita?*

Duplicia. Disparata & Pugnancia.

*Quanam sunt Disparata?*

Sunt duæ species diversæ, quæ etiam si non habent contrariam inter se actionem, tamen

## DE LOGICA.

men in unam rem confundi non possunt: ut homo & arbor: albedo & scientia.

*Quenam est regula huius loci?*

Posita una specie removentur omnes disparatæ. Ut scientia est qualitas mentis: non igitur est figura.

*Quot sunt species pugnantium?*

Quattuor: Contraria, Relata, Privantia, Contradicentia.

*I. Quid vocas Contraria?*

Duas qualitates inter se oppositas, quarum una pellit alteram: aut quarum una posita in gradib. excellentibus, altera in eodem subjecto non ponitur: ut calor, frigus, iustitia, iniustitia.

*Quotuplicia sunt Contraria?*

Duplicia. Immediata, ut siccitas, humiditas. Et mediata, ut albedo, nigredo. Hic adde medios colores.

*Quenam est regula seu ~~relatio~~ contrariorum?*

Duæ contrariæ qualitates graduum excellentium non sunt simul in eodem subjecto: sed in gradibus remissis. Posita itaque una qualitate in gradibus excellentibus, remouetur contraria qualitas.

*II. Qua-*

## DE LOGICA.

### II. *Quidnam vocas Relata?*

Relativa sunt, quæcunque hoc ipsum, quod sunt, dicuntur aliorum esse: Hæc definitio est Platonica. Aristoteles sic definit, Relativa sunt, quæcunque hoc ipsum, quod sunt, aliorum sunt. Vnde duæ species relatorum factæ sunt, Secundum dici & secundum esse.

#### *Quanam sunt $\kappa\epsilon\tau\eta\eta\epsilon\mu$ Relatorum?*

1. Relata dicuntur  $\pi\epsilon\delta\omicron\varsigma\ \acute{\alpha}\nu\tau\iota\sigma\pi\acute{\epsilon}\rho\omicron\nu\lambda\alpha$ , id est, sunt mutuæ collationes: ut pater, filius: dominus, servus: maritus, uxor: frater, soror: privignus, noverca, vitricus.

2. Posito relativo necesse est poni correlativum: & destructo uno destruitur & alterum. Horum enim tanta est connexio, ut alterum sine altero nec esse nec intelligi possit. Sic promissio & fides sunt relata: unde iudicium illud  $\lambda\epsilon\gamma\omicron\nu\eta\lambda\omicron\nu\kappa\omicron\nu$  seu syllogisticum ex loco relatorum.

Promissio fide accipitur.

Iustitia autem est promissa.

Iustitia igitur fide accipitur.

3. Relativa non possunt uni, respectu eiusdem, tribui.

### III. *Quid vocas privantia?*

Voco habitum simul & privationem.

#### *Quid est Habitus?*

Habitus nomen oppositum privationi, significat

## DE LOGICA.

gnificat rem, quæ verè est aliquid positivè in natura: ut qualitas, lux, scientia, figura.

*Quid est Privatio?*

Non est res, sed rei amissio aut destructio in subiecto quod reliquum est. Sic peccatum est privatio: quia ingentis boni destructio est & ordinis confusio in voluntate & corde.

*Quenam est regula privantium?*

In gradibus remissis simul esse possunt habitus & privatio. Ut in loco caliginoso, parum lucis & aliquæ tenebræ simul sunt.

*IV. Quid vocas Contradictionem?*

Voco duas propositiones categoricas inter se oppositas: Ut sol movetur: Sol non movetur.


*Quòdnam est horum  $\kappa\epsilon\tau\acute{\eta}\nu\epsilon\iota\omicron\nu$ ?*

Impossibile est duas contradictorias simul veras aut falsas esse. Itaq; una parte contradictionis recepta, necesse est alteram rejici.

## DE COMPARATIS.

*Quotuplicia sunt Comparata?*

Duplicia:



## DE LOGICA.

### *Quid vocas Paria?*

Duo facta specierum vicinarum sub eodem genere: quorum eadem est ratio. Ut: David in casu necessitatis pie usus est panibus sacerdotum. Ergo & Macabæus pie fecit, cum in casu necessitatis in sabbato præliatus est.

### *Quenam est Regula Majorum?*

Si id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur. Ut: Rex non potest expugnare arcem: multò minus aliquis inferior. A majore autem tantum negativè valet consequentia.

### *Quenam est regula Minorum?*

Si id inest, quod minus videtur inesse, multò magis id inest, quod magis inesse videtur. Ut: si furtum est capitale, multò magis adulterium capitale est. A minore autem tantum affirmativè valet argumentum.

### *Quid vocas similia?*

Duas qualitates similes. Ut: pictura, statuaria, poëtica, sunt similes sub artibus imitandi causa excogitatis, ut enim pictura, sic & poëtica imitatur res. Huc pertinet locus à proportione.

### *Quòdnam est similitum νεῖήρον?*

De similibus idem est iudicium.

DE

D E L O G I C A.  
D E N O M I N E.

*Quid nunc sequitur?*

Haecenus habuimus argumenta prima:  
sequuntur ea, quae ex primis orta sunt: ut No-  
men, Distributio & Definitio.

*Quid complectitur Nomen?*

Complectitur Etymologiam & Conju-  
gata. Etymologia nihil aliud est quam inter-  
pretatio nominis. Vt: Solstitium est Solis  
statio, Sonnenwende.

*Quid est Conjugatum?*

Est nominis derivatio: ut iustitia, iustus:  
Hodie vocant concretum & abstractum.

*Quenam est regula Conjugatorum?*

I. Cui tribuitur concretum, ei tribuitur  
& abstractum. Vt: Baptista milites recipit.  
Igitur & militiam approbat. Nam miles &  
militia sunt conjugata: illud concretum, hoc  
abstractum.

II. In conjugatis ambiguis non valet con-  
sequentia.

D E D I S T R I B U T I O N E.

*Quid est Distributio?*

Est distinctio totius in partes. Atque ut  
distinctio totius in partes distributio dici-  
tur: sic collectio partium ad constituendum  
totum vocatur Inductio *ἰνδὺκσις*.

H 2

Quod

## DE LOGICA.

*Quot sunt species Distributionis?*

Quatuor. Sumitur enim ex primis locis Causarum, Effectorum, Subjectorum & Adjunctorum.

*Quenam sumitur ex Effectis?*

Divisio: est enim distributio generis in species. Ut animal dividitur in Hominem & Bestiam. Genus enim causa est specierum: & species sunt effecta generis.

*Quid est Genus?*

Est nomen commune multis speciebus.

*Quotplex est?*

Duplex. Summum seu generalissimum & Subalternum.

*Quenam sunt regulae Generis?*

I. A genere cum signo universalis semper valet consequentia affirmativè & negativè. Ut: Omnis legitima emtio est contractus honestus. Ergo & emtio cum pacto de revenendo. Nulla dona Dei sunt vituperanda. Ergo nec artes liberales.

II. A genere sine signo universalis ad speciem tantum negativè arguere licet. Furiosus non potest consentire: ergo nec in matrimonium aut in emtionem consentire potest.

*Quis*



## DE LOGICA.

*Quis est usus generis apud  
Rhetores?*

Ex hoc fonte sumerunt præceptum, Hypothesin esse transferendam ad thesin.

*Quid est species?*

Est quæ subjicitur generi. Ut bos, equus, leo sunt species subjæctæ animali. Et huc pertinet locus ab Exemplis.

*Quotplex est Species?*

Duplex. Specialissima & subalterna.

*Quenam est regula de specie?*

A specie ad genus tantum affirmativè ducuntur argumenta. Posita enim specie, ponitur genus.

*Quenam Distributio sumitur  
ex causis?*

Partitio: est enim Distributio integri in membra. Membra enim sunt causæ integri: ut fundamentum, parietes, tectum sunt membra & causæ integri, id est, domus.

*Quenam est Distributio ex  
Subjectis?*

Cum partes subjæctæ sunt. Ut virtus alia agit cum Deo, ut Fides, Spes, Dilectio Dei: alia intuetur homines, ut justitia, temperantia,

H 3                   tia,

## DE LOGICA.

tia, castitas. Ut habitus alii sunt intellectus, alii voluntatis. Et hæc distributio utilis est Medicis, qui morborum divisiones sumunt ex Locis affectis.

### *Quenam est Distributio ex Adjunctis?*

Cum partes sunt adjuncta seu accidentia: & dicitur propriè Enumeratio: cum scilicet alicuius personæ vel rei condiciones proprias enumeramus. Sic Imper. majestatem oportet legibus esse armatam, & armis decoratam. Sic Episcopum oportet esse doctum, *διδασκλικόν*, benè moratum, veracem, candidum, *μισοσοφιστῶν*, studiosum concordia &c. Bonus imperator seu dux exercitus, ut est in oratione pro lege Manilia, habeat scientiam rei militaris, virtutem, felicitatem & auctoritatem. Sic principem, secundum Homerum, & eum qui velit Remp. gubernare, oportet

*Μόθων μὲν ῥιτῆρ' ἔμωνα, περικτῆρα δ' ἔργων.*

### *Quenam sunt κειμένα distributionis?*

I. Quoties arguimus à divisione generis in species, aut totius in partes, fiat integra enumeratio specierum seu partium.

II. Ab insufficienti enumeratione partium aut specierum non fit bona consequentia.

DE

D E L O G I C A.  
D E D E F I N I T I O N E.

*Cur postremo loco ponis Defi-  
nitionem?*

Quia ex omnibus antecedentibus locis sumi potest. Itaque in eius præceptis tradendis superiores locos merito sequitur. Verum in artium liberalium methodis docendis, definitio semper primum locum habere debet.

*Quid est Definitio?*

Est oratio, quæ essentiam aut causas aut partes aut accidentia rei exponit.

*Quot sunt species Definitionis?*

Tot ferè sunt, quot loci qui præcesserunt. Sumitur enim ex causis, (quæ ideo essentialis & causalis dicitur) ex adjunctis, ex dissentaneis, ex distributione.

*Quanam est essentialis?*

Quæ constat ex genere & differentia. Vt: Homo est animal rationale.

*Quid est Causalis?*

Quæ disertè causas vel omnes vel aliquas recenset, ut rei naturam vel usum declaret. Est autem affinis superiori. Nam duæ causæ interiores, materia & forma, revera sunt essentia rei.

H 4      *Quid*

## DE LOGICA.

### *Quid est Accidental?*

Quæ sumitur & colligitur ex coacervatione accidentium seu adjunctorum. Est enim oratio, quæ generi vel speciei adjungit, vel propria adjuncta, vel talem coacervationem communium adjunctorum, quæ discernat eam rem ab aliis. Hac forma utimur in descriptionibus plantarum & personarum, & dicitur τύπος & προσομοίωσις.

### *Quid est definitio ex dissentaneis?*

Est definitio relatorum: καὶὰ πρὸς ἄλλο. Vt: pater est persona habens filium. Item est definitio, quæ fit remotione contrarii, κατ' ἀφαίρεσιν ἢ ἐναντίως: estque vocabulorum privativorum. Vt: Tenebræ sunt absentia lucis. ἀμαρτία, ἐστὶν ἀνομία.

### *Quid est definitio Partitiva?*

Quæ colligitur ex coacervatione partium. Est enim oratio recitans partes vel essentielles vel integrales præcipuas.

### *Quot sunt conditiones bonæ definitionis?*

Tres:

- I. Ne definitio sit angustior definito.
- II. Ne latius vagetur quàm definitum.
- III. Vt constet sermone proprio, perspicuo, minimeque ambiguo.

Quæ-

## DE LOGICA.

*Quanam sunt veritates seu axiomata de finitionis?*

I. Cui convenit definitio, eidem convenit & definitum, & contra.

II. Cui adimitur definitio, eidem adimitur & definitum. Ita gignit hic locus affirmativa & negativa argumenta.

*Da mihi exemplum argumentationis ex definitione?*

Sit quaestio, An gloria sit appetenda. Hic inventa definitione verae & vanae gloriae, affirmate & negate iudicium concludam.

Approbatio conscientiae recte iudicantis, & aliorum recte iudicantium, est appetenda.

At gloria vera est talis approbatio.

Ergo gloria vera est appetenda.

Approbatio levium hominum & non recte iudicantium, non est appetenda.

At vana gloria est talis approbatio levium hominum, quam appetunt Thraiones.

Vana igitur gloria non est appetenda.

## DE TESTIMONIO.

*Quid nunc sequitur?*

Haecenus de argumentis artificialibus: sequitur inartificiale ex Testimonio seu Autoritate.

H s

Qua-

## DE LOGICA.

*Quanam sunt κειθήρια seu axiomata hujus loci?*

Illam distribuenda sunt pro varietate artium & rerum, quarum habentur testimonia. Aliud enim est in philosophia, aliud in sacris rebus, aliud in rebus civilibus.

*Quòdnam axioma est de testimoniis in Philosophia?*

In philosophia nulla autoritas valet, sed rationes & demonstrationes. Illud tamen vulgò concessum est, ut Artifici in sua arte perito credatur: idque tantum affirmatè valet, non negatè: & quidem non ex sola autoritate valet, sed accedit argumentum ex adjunctis, peritia scilicet aut senio. Nam senum judicia, & eorum qui diu easdem res cogitarunt, sursumque & deorsum (ut Plato ait) volutarunt: certiora sunt, quàm juvenum, qui velut hospites primum aspicere res foris ceperunt.

*Quòdnam axioma est de testimoniis in sacris rebus?*

In rebus sacris autoritas divina præcipua est: & inde valent argumenta affirmatè & negatè.

*Quòdnam est κειθήριον de testimoniis in rebus civilibus?*

In his rebus magna est auctoritas Legum: quia

## DE LOGICA.

quæ politicæ leges ( quæ sunt juris positivi )  
propter duas causas valent , scilicet propter  
autoritatem magistratus , qui eas tulit : &  
propter rationem probabilem , qua legislator  
ad legem ferendam motus est : & vulgò ratio  
dicitur anima legis. Et sic in hoc quoque  
exemplo apparet , testimonium solum non  
sufficere , nisi alius locus artificialis adjuvet ,  
ut causa efficiens & finalis in lege apparens.  
In judiciis quoque magna autoritas est testi-  
moniorum : in quibus judiciis iudex motus  
veris , perspicuis & sufficientibus testimoniis  
( hæc enim adjuncta & hæc causæ in testimo-  
niis requiruntur ) bona conscientia ferre po-  
test sententiam.

*Quenam referuntur ad locum  
Testimoniorum ?*

Communes sententiæ de moribus : ut  
sunt *ἡμίση* ( ut , ne quid nimis ) & *ἡσέως*.

## EXEMPLVM INVEN- TIONIS TOPICAE, VIRTVS.

*Quenam sunt causæ virtutis ?*

I. Causa efficiens principalis est mens &  
voluntas. Adjuvans , est bona inclinatio na-  
turalis , *εὐφροσύνη* , ars seu doctrina , disciplina seu  
exercitatio , spiritus sanctus.

II. Materia virtutis nulla est. Nam acci-  
dentia

## DE LOGICA.

dentia nullam materiam habent. At virtus est accidens. Ergo &c.

III. Forma virtutis est actio honesta seu mediocritas.

IV. Finis principalis in philosophia, est actio honesta, nam dicunt virtutem per se expetendam esse. At in ecclesia finis principalis est, ut Deo debitam obedientiam præstemus. Finis minus principalis est, ut pœnas vitemus. De utroque fine Horatius:

*Oderunt peccare boni virtutis amore,*

*Oderunt peccare mali formidine pœne.*

*Quenam sunt virtutis effecta?*

Tranquillitas cordis, orta ex bona conscientia. Felicitas & secundi eventus. Pax publica. Exemplum honestum.

*Quodnam est subjectum?*

Voluntas & Cor.

*Quenam sunt adjuncta?*

Gloria, Odia malorum, Pericula, Auxilium divinum.

*Quenam dissentanea?*

Vitia seu turpitudines. Simulatio virtutis.

*Quenam comparata?*

Bona corporis & externa: sæpè enim disputatur, utra utris præstent.

*Qua-*



## DE LOGICA.

### *Quanam Etymologia?*

Virtus à viro nomen habet : ut Græcis  
*ἀνδρεία* ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς.

### *Quanam conjugata?*

A virtute non dicitur quidem virtuo-  
sus, sed bonus aut probus, ut apud Græcos  
*ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ἀγαθὸς καὶ πρῶτος* : in nomine igi-  
tur nulla hic conjugatio est, sed in re.

### *Quodnam genus?*

Habitus bonus.

### *Quanam species seu divisio?*

Species sunt prudentia, Iustitia, Fortitu-  
do, Temperantia.

### *Quanam sunt exempla specialia?*

Socrates, Minos, Cæsar, Scipio.

### *Quæ definitio?*

Virtus est habitus bonus inclinans volun-  
tatem & cæteras vires, ut constanter obe-  
diant recte rationi.

## ALIUD EXEMPLUM.

Loci personarum in genere Demonstra-  
tivo.

### *Quinam loci considerandi sunt in Demon- strativo genere circa laudes personarum?*

Rhetores illa omnia ex Logica in Rhe-  
tori-

## DE LOGICA.

toricam traduxerunt. Neque tamen omnes locos, sed tantum quatuor assumerunt, causas, effecta, adjuncta, testimonia. Demonstrationem enim petendam esse docent à parentibus & majoribus, quæ procreantes causæ sunt in nostris locis. Item ex inventis, actis, dictis, factis: quæ effecta sunt: item ex animi, corporis & fortunæ commodis, ex sexu, patria, educatione, vitæ genere, ætate, morte: quæ adjuncta sunt: item ex testimoniis divinis. Præterea nullum argumenti genus attingunt.

## DE IUDICIO.

*Quid est iudicium?*

Est secunda pars Logicæ de disponendis argumentis ad benè iudicandum. Itaque etiam dispositio dicitur ex forma, sicut iudicium ex fine. Ideò enim dispositio fit, ut rectè & prudenter de inventis iudicemus.

*Quotplex est iudicium?*

Duplex. Noëticum seu axiomaticum in Enunciato seu propositione: & Dianoëticum in Syllogismo & Methodo.

*Quid vocas axiomaticum iudicium?*

Quod per se suaque fide probatur: quod veritatis iudicium totum ad Enunciatum spectat, ut solum enunciatum verum sit aut falsum.

## DE LOGICA.

falsum. Syllogismo enim consequentia vel inconsequentia : methodo ordo vel confusio tribuitur.

## DE ENUNCIATO.

### *Quid est Enunciatum?*

Est dispositio, qua argumentum de argumento enunciatur. Atque hinc prima est inventarum rerum dispositio : causæ cum effectu, ut ignis urit : subjecti cum adjuncto : ut ignis est calidus : dissentanei cum dissentaneo, ut ignis non est aqua.

### *I. Quot sunt partes Enunciati?*

Duæ. Antecedens & Consequens : in scholis vocant subjectum & prædicatum. Ut ignis urit. Hinc ignis est antecedens, urit consequens.

### *II. Quot sunt affectiones Enunciati?*

Duæ. Primò affirmatio & Negatio. Secunda Veritas & Falsitas.

### *Quid est Enunciatum affirmativum?*

Quod aliquid asseverat inesse aut adesse subjecto, ut paries est albus.

### *Quid est Negativum?*

Quod aliquid negat inesse subjecto : ut Homo non est lapis.

*Quid*

## DE LOGICA.

*Quid sequitur ex prima affectione ista?*

Contradictio seu oppositio: quæ est dissonantia duorum enunciatorum, quorum alterum est affirmativum, alterum negativum: eorundem extremorum non ambigè intellectorum. Extrema hîc sunt, quas antea partes enunciati diximus, antecedens scilicet & consequens.

*Quid est Enunciatum Verum?*

Quod cum re, de qua aliquid affirmat aut negat, congruit. Ut lapis est gravis. Cœlum semper movetur.

*Quid est Falsum?*

Quod à re dissentit. Et id vocatur etiam impossibile: cum scilicet pugnantia junguntur. Ut cæcitas est visus.

*Quotplex est Verum Enunciatum?*

Duplex: Necessarium & Contingens.

*Quid est Enunciatum necessarium?*

Quod aliter se habere non potest. Et talia sunt enunciata, in quibus aut forma de formato dicitur, ut homo est rationalis: aut proprium adjunctum de proprio subjecto, ut homo est capax disciplinæ; aut genus de specie di-

## DE LOGICA.

cie dicitur: ut homo est animal: aut definitio de definito: ut homo est animal rationale. Et huic contrarium est Impossibile enunciatum.

### *Quid est Contingens Enunciatum?*

Quod aliquando aliter se habere potest. Et talia sunt enunciata, in quibus commune adjunctum de subiecto dicitur. Ut Iulius vicit Pompeium. Aeneas vicit Turnum. Paris rapuit Helenam.

### *Enunciatum illud Stoicorum, Omnia sunt necessario, estne verum?*

Non est: Nam Deus liberè agit, nec est alligatus ad causas secundas seu phycas. Homo quoque ad imaginem Dei conditus, libertatem actionum externarum habet, & disciplina, quam sacræ literæ requirunt, frenari potest.

### *Sed nonne Deus omnia prævidet: ex quo sequi videtur omnia necessitate fatali evenire?*

Prævisio divina eventibus nullam necessitatem affert. Nec enim quia Deus prævidit Adamum lapsurum, ideo necessitate quadam fatali lapsus est: sed quia lapsurus erat Adamus, id Deus prævidit.

I Futura

## DE LOGICA.

*Futura contingentia sūntne jam manifestè vera aut falsa?*

Non sunt. Nam quales sunt antecedentes causæ, talis est eventuum veritas. In actionibus hominum & tempestatibus causæ sunt contingentes: Talis ergo & eventus est. Ex causis enim necessariis, futurum necessarium est: ex liberis liberum: ex physicis physicum.

*Quanam sunt κειθήνια veritatis in Enunciato vero?*

Discernenda sunt certa ab incertis. Sæpe enim in magnis rebus falluntur homines, qui fugaces umbras tanquam res certas sequuntur: quique inanibus opinionibus delectantur, ut Theocriti piscator lætatur somnio aurei piscis. Et sæpè in vita accidit id quod Græci dicunt: *ματαιοὶ ματαιὰ λογίζονται δὲ ἐπιθυμίας.*

*Quanam igitur sunt causa certitudinis?*

Aliæ sunt in ecclesia, aliæ in philosophia. Nam veritatis & certitudinis κειθήσιον in ecclesia unicum est. Patefactio scilicet divina, certis testimoniis facta. At in Philosophia & omnibus artibus, de quibus lux humani ingenii judicat, duo præcipuè νοητικὰ κειθήσια sunt: (nam de *Δεσποτικῆ κειθήσιω* syllogismi postea suo

## DE LOGICA.

ea suo loco dicetur) nimirum experientia universalis, ἐμπειρία: & principia, ἀρχαί.

### *Quid vocas Experientiam?*

Cum de his, quæ sensu percipiuntur, fani omnes eodem modo judicant. Ut ignem calidum esse, vinum & piper habere vim calefaciendi, docet experientia. A manifesta igitur experientia dissentire, est Deo bellum inferre Gigantum more: quia perinde est ac si quis neget hunc naturæ ordinem à Deo conditum esse.

### *Quid vocas Principia?*

Notitias nobiscum natas, quæ sunt femina singularum artium, divinitus nobis insita, ut inde artes extruantur. Sic in arte juris principia tria sunt, honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. Aristoteles in laudatione harum noticiarum, accommodat ad eas dictum ἀρχὴ ἡμῶν πάντων. Græci vocant modò γνωαὶς ἐννοίας καὶ ἀξιωματικαί, modò ἀποθεωαί.

### *Quotuplicia sunt Principia?*

Duplicia: Quædam enim sunt Theorica, quædam Practica.

### *Quenam sunt Theorica?*

Quæ in doctrina Logica, Physica & Ma-

## DE LOGICA.

thematica habentur : ut, Totum est majus sua parte. Causa non est posterior suo effectu. Omne corpus est finitum. Quæ eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia.

### *Quenam sunt Practica?*

Quæ in Ethica & Politica habentur. Ut honestè est vivendum; Patriæ & parentibus obediendum. Civilis societas colenda est &c. Et illa philosophia vera est, quæ ab huiusmodi principiis natura notis orditur, & inde suas demonstrationes extruit.

### *Quot sunt sectæ Philosophorum?*

Quatuor præcipuæ. Peripatetica, Epicurea, Stoica, Academica nova.

### *Quenam est Peripatetica secta?*

Quæ ab Aristotele profecta est, & Dialecticam, Physicam, Ethicam integriorem habet, minusque hallucinatur, quam cæteræ. Et Galenus ait, in hac minus errorum esse quam in cæteris.

### *Quenam est Epicurea?*

Quæ ab Epicuro orta est: plena deliriorum & furorum. Nam 1. Dialecticam omnino contempsit. 2. In Physicis componit mundum ex atomis, removetque duas præcipuas causas,



## DE LOGICA.

causas, efficientem & finalem. In Ethicis finem hominis facit voluptatem.

### *Quenam est Stoica?*

Quæ à Zenone instituta est: Dialecticam spinosam habuit. In physicis & ethicis omnia fieri necessario contendit.

### *Quenam est Academica nova?*

Quæ profecta est ab Arcefila: qui omnia dixit esse incerta.

### *Quenam est causa tot sectarum?*

Ingenii humani diversitas. Nam quidam homines natura sunt ἀντιλογικοί: quidam sunt torvi, qui admirantur Stoica deliramenta: quidam sunt præstigiatores, qui Academicorum more nihil certi habent: quidam ambitiosi, leves, & φιλόνηγοι sunt.

### *III. Quot sunt species Enunciati?*

Duæ: Simplex & Compositum.

### *Quid est Simplex?*

Est unica simplex indicativa oratio, quæ perspicua asseveratione unum quiddam affirmat aut negat. Vt Sol est major terra. Luna est minor terra. Et hæc in scholis vocatur propositio Categorica.

I 3

Quot-

## DE LOGICA.

*Quotplex est Enunciatum  
simplex?*

Duplex : Generale & Speciale.

*Quid est Generale?*

In quo signum universale additur sub-  
jecto, ut complectatur omnia de quibus subje-  
ctum dici potest. Talia signa sunt omnis,  
quilibet, nullus, nemo, & particulæ exclusi-  
væ. Et in scholis vocatur propositio univer-  
salis.

*Qualis est hic Contradictio?*

Contradicentia generalia (quæ in scho-  
lis vocantur contrariæ propositiones) nun-  
quam possunt simul esse vera. Vt: Omnis ho-  
mo est animal. Nullus homo est animal. Sed  
in materia contingenti possunt simul esse fal-  
sa. Vt: omnis arbor floret. Nulla arbor flo-  
ret.

*Quotplex est Speciale enun-  
ciatum?*

Duplex: Particulare & Singulare.

*Quid est Particulare?*

In quo signum particulare subiecto addi-  
tur. Vt quidam, aliquis, plerique, plerunque.

*Qualis est hic Contradictio?*

Impossibile est duas contradictorias si-  
mul

## DE LOGICA.

mul veras aut falsas esse. Sunt autem contradictoriæ generalis affirmativa & particularis negativa: & è contra generalis negativa: & particularis affirmativa.

### *Quid est Singulare?*

In quo subjectum est proprium nomen. Ut: Cicero est orator, Cuius negatio etiam contradictio est. Ut: Cicero non est orator.

### *Quid est Enunciatum compositum?*

Est oratio, in qua duæ categoricæ propositiones per conjunctionem copulantur. Ut: si emisti, debes pecuniam. Hæc nomine speciei, in scholis vocatur propositio hypothetica, id est, conditionalis: quia illa frequentissima est inter species enunciati compositi. Nos vocabimus connexam.

## DE SYLLOGISMO.

### *Quid nunc sequitur?*

Hactenus de iudicio noëtico axiomatis per se manifesti: sequitur dianoëticum.

### *Quid est ἀγωγή?*


Cum aliud axioma ex alio deducitur: estque syllogismus aut methodus.

### *Quid est Syllogismus?*

Est ἀγωγή, in qua conclusio aliqua confirmatur aut refutatur per alias notiores propositiones.

## D E L O G I C A.

sitiones, continentes causam conclusionis, & recte ad eam accommodatas.



### I. Quotuplices sunt partes Syllogismi?

Duplices: Aliæ sunt Majores, aliæ Minores.

#### Quotnam sunt Majores?

Duæ: Antecedens & Consequens. Antecedens est in Propositione & Assumptione, à Rhetoribus vocatur *ἀρτιον*, & pars quæ indiget confirmatione, vocatur *κωνόμειρον*. Consequens vocatur complexio seu conclusio.

#### Quare necesse est duas esse partes antecedentis?

Quia quicquid confirmatur aut refutatur, per aliquam causam confirmatur aut refutatur. Eam causam cum primò ponimus, necesse est propositionem constitui, quæ causam recitat, & quasi fundamentum est totius ædifi-

## DE LOGICA.

ædificii. Huic subicitur Assumptio, quæ causam ad subjectum conclusionis accommodat, & ex propositione assumit. Ita duo enunciata fieri necesse est, inter se devincta & connexa, repetito medio seu argumento. His enunciatis duobus positis, necessario sequitur complexio.

*Quotnam sunt minores partes  
Syllogismi:*

Tres sunt: qui vocantur termini, Major, Minor, Medius.

*Quid est Major?*

Qui tantum in propositione ponitur, & tribuitur postea subjecto conclusionis.

*Quid est Minor?*

Qui tantum in assumptione ponitur. Estque is de quo quæstio est, de qua in conclusione pronuntiatur.

*Quid est Medius?*

Qui bis ponitur ante conclusionem: quia est vinculum duorum enunciatorum antecedentis, & causa cur subjectum & prædicatum in affirmativa conclusione jungantur, in negativa distrahantur.

*Cur sunt tantum tres termini?*

Quia repetitur medium, ut conspiciatur

I 5

sub-

## DE LOGICA.

subjectum conclusionis in subjecto majoris  
includi vel excludi.

*Da exemplum.*

Omne ANIMAL est substantia.

Omnis homo est ANIMAL.

Omnis igitur homo est substantia.

Hic substantia est major terminus, quia  
tantum in propositione ponitur, & in con-  
clusionione est prædicatum. At homo est minor  
terminus, quia tantum in assumptione poni-  
tur: & in conclusionione est subjectum. Ani-  
mal denique est medium, quia bis ponitur  
ante conclusionem, & est vinculum propo-  
sitionis & assumptionis.

I I. *Quenam est affectio Syllogismi?*

*κρυψις*, occultatio.

*Quotuplex est κρυψις?*

Triples: Ellipsis, Redundantia, Inversio.

*Quid est Ellipsis?*

Cum pars aliqua syllogismi deest, & di-  
citur Enthymema: quod est syllogismus im-  
perfectus: quia fit recitata una syllogismi  
propositione & addita conclusionione. Et en-  
thymemata creberrima sunt in omni sermo-  
ne, plurimaque in brevissimis concionibus  
Prophetis & Apostolicis. Omittitur au-  
tem altera propositio plerunque causa bre-  
vitatis,

## DE LOGICA.

vitatis, & prior pars Enthymematis vocatur Antecedens: posterior consequens.

### *Quid est Redundantia?*

Cum præter illas tres partes aliquid accedit, & dicitur *ὑπερβολή*, id est, approbatio.

### *Quid est Inversio?*

Cum partium ordo confunditur, ita ut primo loco sit complexio, secundo propositio, tertio assumptio: & contra.

### III. *Quotplex est Syllogismus?*

Duplex: Simplex & Compositus: ut & enunciatum fuit.

### *Quid est Figura?*

Est ordo terminorum, qui variatur collatione medii. Nam si argumentum seu medium majorem partem quæstionis antecedit, & minorem sequitur, est prima figura. Si utramque partem quæstionis sequitur, est secunda: si denique utramque partem antecedit, est tertia. Itaque tres sunt figuræ simplicis syllogismi.

## DE PRIMA FIGURA.

### *Quid est prima Figura?*

In qua argumentum antecedit in propositione generali: sequitur affirmatum in assum-

## DE LOGICA.

assumptione. Vnde efficitur ex omnibus enunciatis negantibus, aut ex omnibus specialibus, aut ex propositione speciali, aut ex assumptione negante, vitiose & illegitime concludi.

*Quot sunt modi primæ figure?*

Quatuor directè concludentes. Nam alios volens omitto, cum suprà de conversionibus dictum sit, unde intelligi potest, quæ propositiones ad quas in conversione sequantur. Sunt autem docendi causa attributa modis hæc nomina:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio. In his litterè admonent, qualium propositionum conexio sit:

- A Significat universalem affirmativam.
- E Significat universalem negativam.
- I Significat particularem affirmativam.
- O Significat particularem negativam.

Sumit autem modus appellationem à conclusionem. Dicitur universalis aut affirmativus, cum conclusio est universalis aut affirmativa.

*Recita modos.*

B A R B A R A.

- Bar Omne animal est substantia.
- ba Omnis homo est animal.
- ra Ergo omnis homo est substantia.

C E L A.



## DE LOGICA.

### CELARENT.

Ce Nullum animal est lapis.  
la Omnis homo est animal.  
rent Ergo nullus homo est lapis.

### DARI.

Da Omnis turpitudine est fugienda.  
ri Quædam voluptas est turpis.  
i Ergo quædam voluptas fugienda est.

### FERIO.

Fe Nulla lex naturæ est mutabilis.  
ri Lex prohibens adulteria est lex naturæ.  
o Ergo lex prohibens adulteria non est  
mutabilis.

Recitavi nuda & non proluxa exempla, ut  
facilius conspici membra possint. Vides au-  
tem in omnibus exemplis procedi à genere,  
& in minore speciem poni inclusam generi.  
Cum autem in Oratorum omnium scriptis  
& concionibus, imò in omni sermone diser-  
torum necesse sit multos syllogismos esse,  
considerandum est, quæ sint principalia mem-  
bra, & quo ordine collocata sint. Et quia  
popularis oratio majorem sonum addit ar-  
gumentis, adduntur ornamenta, quorum ta-  
men modus aliquis est. Excerpti autem nu-  
dos syllogismos prodest, ut principalia mem-  
bra, tanquam detracto vestitu, propius aspici  
possint.

DE

DE LOGICA.

DE SECUNDA FIGURA.

*Quid est secunda Figura?*

In qua argumentum utramque partem quæstionis consequitur, negatum in altera. Unde efficitur ex omnibus affirmatis in hac figura nihil concludi: & complexionem esse semper negatam, propositionem autem generalem.

*Quot sunt modi secunda Figura?*

Quatuor: Cesare, Camestres, Festino, Baroco.

C E S A R E.

Ces Nulla stella consumitur.

a Omnes Cometæ exiguo tempore consumuntur.

re Ergo nullus Cometa est stella.

C A M E S T R E S.

Cam Omnes stellæ sunt corpora perpetua.

es Nullæ trajectiones seu ἀποπτώσεις in aëre sunt corpora perpetua.

tres Ergo nullæ trajectiones sunt stellæ.

F E S T I N O.

Fes Nulla natura elementaris habet infinitas notitias.

ti Mens humana habet infinitas notitias non aliunde acceptas.

no Ergo mens humana non est conflata ex natura elementari.

B A R O-

# DE LOGICA.

## BAROCO.

Ba Omne corruptibile compositum est ex  
elementis.

roc Mens humana non est composita ex ele-  
mentis.

o Ergo mens humana non est corrupti-  
bilis.

Hos duos syllogismos recitant Plato in  
Phedone, & Cicero in prima Tusculana, ad  
confirmandam immortalitatem anime hu-  
mane, quia non conflata sit ex materia ele-  
mentari, quod testatur hec insignis proprie-  
tas, quia in natura mentis noticie sunt, non  
aliunde accepte.

Ba Omnis coetus, qui est Ecclesia Dei, am-  
plectitur libros Propheticos & A-  
postolicos.

roc Secta Mahometi non amplectitur libros  
Propheticos & Apostolicos.

o Ergo certissimum est, sectam Mahome-  
ticam non esse Ecclesiam Dei.

Supra dixi, particulas exclusivas habere  
vim universalium. Ideo & sequens syllogi-  
smus congruit ad modum Camestres.

Tantum in coetu vocatorum sunt electi,  
id est, Omnes qui electi sunt, necesse est in  
coetu vocatorum esse, id est, baptizatorum &  
amplectentium Euangelium. Hinc extrui-  
tur syllogismus, qui doctrinam & consola-  
tionem dulcissimam continet.

Cam-

## DE LOGICA.

Cam Tantum in cœtu vocatorum sunt electi, ut Paulus inquit: Quos elegit, hos & vocavit.

es Nulli Mahometistæ sunt in cœtu vocatorum.

tres Ergo nulli manentes inter Mahometistas sunt electi.

## DE TERTIA FIGURA.

*Quid est tertia Figura?*

In qua argumentum utramque partem quæstionis antecedit, ita ut assumptio affirmata, complexio specialis fit.

*Quot sunt modi tertiæ Figuræ?*

Sex modi recitantur: Darapti, Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison.

### DARAPTI.

Da Omnes *σεγαί*, conditæ à Deo in natura hominis, sunt res suo genere bonæ.

rap Omnes *σεγαί* sunt affectus.

ti Ergo quidam affectus sunt res suo genere bonæ.

Sensus communis judicat hanc compositionem non esse horridam & confragosam. Et hoc ipso argumento Stoici & Anabaptistæ refutantur, cum omnes affectus contendunt suo genere vitiosos esse.

FELAP-

DE LOGICA.

FELAPTON.

Fe Nullum justum imperium est excutien-  
dum.

lap Omnia etiam justa imperia habent ali-  
qua onera duriora, & aliqua errata.

ton Ergo aliqua onera duriora, & aliqua er-  
rata non sunt excutienda.

DISAMIS.

Dis Ius naturale concedit defensionem con-  
tra latrones.

a Ius naturale est jus divinum.

mis Ergo jus divinum concedit defensionem  
contra latrones.

DATISI.

Da Omnis cognitio virtutum necessaria est  
Oratori.

tis Cognitio virtutum est Philosophia.

i Ergo Philosophia est necessaria Oratori.

BOCARDO.

Boc Provocatio ad judicem non est prohi-  
bita Christianis.

ar Omnis provocatio est venire in judi-  
cium, seu certare in judicio cum ad-  
versario.

do Ergo certare in judicio non est prohi-  
bitum Christianis.

K

FERI-

1

## DE LOGICA.

### FERISON.

Fe Nulla Hebenus est alba.

ris Hebenus est lignum Guajacum.

on Ergo lignum Guajacum non est album.

Recitavi figuras & modos, quos ut meminisse juniores possint, tanquam sua nomina ediscant hos pueriles versus:

*Barbara, Celarent, prima Darii, Ferioq<sub>3</sub>.*

*Cesare, Camestres, Festino, Baroco, secunda.*

*Tertia grande sonans recitat Darapti, Felapton,*

*Adjungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

## DE SYLLOGISMO COMPOSITO.

*Quotplex est Syllogismus compositus?*

Duplex: Connexus seu Hypotheticus, & Disjunctus.

*Quid est Syllogismus connexus?*

Cuius propositio est Connexa seu hypothetica: cui præponitur particula Si.

*Quanam est forma huius syllogismi?*

Initio ponitur tota conditionalis: deinde loco assumptionis altera pars sumitur, unde ratiocinamur in conclusione alteram.

*Quot sunt modi syllogismi connexi?*

Duo.

*Qualis*

*D E L O G I C A.*

*Qualis est primus modus?*

A positione antecedentis ad positionem consequentis, ut:

Si Dii sunt, divinatio est.

At Dii sunt.

Divinatio igitur est.

*Qualis est secundus?*

A destructione consequentis ad destructionem antecedentis, ut:

Si anima est mortalis, est corporea.

At anima non est corporea.

Anima igitur non est mortalis.

*Quid est Syllogismus disjunctus?*

Cuius propositio est disjuncta, hoc est, si addita est præpositio Aut.

*Quot sunt eius modi?*

Duo.

*Qualis est primus?*

Tollit unum, ut reliquum retineat, ut:

Aut dies est aut nox.

At dies non est.

Nox igitur est.

*Qualis est secundus?*

Qui affirmat unum & reliquum tollit, ut:

Dies est aut nox.

At dies est.

Nox igitur non est.

K 2

Syl.

## DE LOGICA.

Syllogismo connexo similis est negatio copulatae propositionis, ut :

Non hoc fragile corpus humanum mente regitur, & non regitur mente universum mundi corpus.

At corpus humanum mente regitur.

Ergo & totus mundus mente regitur.

Item : Non sunt Dii & non significant.

At Dii sunt.

Ergo Dii significant.

Pro eo quod diceretis: Si corpus humanum mente regitur: etiam mundus mente regitur: & Si Dii sunt, significant.

*Suntne aliae species argumentationis prater syllogismum?*

Vulgò in scholis recensent inter species argumentationis, etiam enthymema, inductionem, exemplum, dilemma, Soritem. Sed enthymema est mutilatus syllogismus, ut supra de crypsi diximus. Inductio vero, exemplum, dilemma: argumentorum nomina sunt.

Nam inductio est argumentum à partibus ad totum: & ex singularibus enumeratis constituit universalem. Exemplum autem est argumentum à specie: cum scilicet singulare per aliud singulare in una specie confirmamus, propter similem rationem. Ratio enim consequentiae est hæc communis sententia: De similibus idem est iudicium:



## DE LOGICA.

cium: & ne decipiamur exemplis, prudenter dici solet: Non exemplis, sed legibus judicandum est. l. nemo. C. de sententiis & interlocutione omnium judicum. Dilemma verò est argumentum à contrariis medio carentibus: ex quibus argumentatio extructa dicitur syllogismus cornutus. Sorites denique nihil aliud est quàm coacervatio multorum enthymematum: ideoque quasi progressio enthymematica est: & quia minutatim ac gradatim addit, & paulatim velut congestis granis acervum efficit, *συσχεῖται* acervalis appellatur. Nam prædicato primæ propositionis aliud prædicatum attribuitur necessario coherens, eodemque modo ulterius procedi per gradus potest, donec in conclusione ultimum prædicatum additur primæ propositionis subjecto. Itaque huc refertur Aristotelis regula in Categoriis: Quando alterum de altero ut de specie dicitur: quicquid de prædicato dicitur, id de ea specie quoque dici necesse est. Atque hæc de Syllogismo.

## DE METHODO.

*Quenam est altera pars Dianoëtici judicii?*

Est Methodus.

*Quid est Methodus?*

Est habitus, id est, scientia seu ars, viam faciens

K 3

ciens

## DE LOGICA.

ciens certa ratione: μέθοδος ἐστὶν ἐξ ἑξὶς ὁδοποιητικὴ με-  
& λόγος. Nam quasi per loca invia & obsita  
sentibus, per rerum confusionem, viam inve-  
nit & aperit, ac res ad propositum pertinen-  
tes eruit ac ordine proposuit.

### *Quottriplex est Methodus?*

Sicut una est species argumentationis,  
Syllogismus scilicet: ita una quoque metho-  
di species, à generalibus ad specialia, eaque  
Aristoteles sola & perpetuo utitur: imo o-  
mnes omnino scriptores, qui facile & perspi-  
cua docere volunt, hac methodo usi sunt.  
Cuius rei exempla præcipua sunt, in artibus  
legitimè constitutis. Nam in docendo gene-  
ralis & universa declaratio præcedit, qualis  
est definitio & summa quædam compræhen-  
sio: tum sequitur specialis per distributio-  
nem partium explicatio: postremò partium  
singularium, quo ordine propositæ sunt, de-  
finitio & per idonea exempla illustratio. V-  
bique autem Transitionum vinculis partes  
colligandæ sunt: quæ causas maximæ per-  
spicuitatis continent.

### *Sequuntur ne etiam Poëtae & Orato- res hanc methodum?*

Sequuntur verò, cum docere volunt. Poë-  
tæ enim materiam proponunt: quæ propo-  
sitis loco definitionis est. Deinde materiam  
propo-

## DE LOGICA.

propositam dividunt, & partes suo quamque ordine dispositas persequuntur. Oratores vero in proœmio, narratione, confirmatione, peroratione hunc ordinem affectant.

### *Quenam est affectio Methodi?*

Κεῦψις occultatio : quæ adhibetur, non cum auditorem docere volumus : sed cum magis delectare vel movere cogitamus.

### *Quotuplex est illa κεῦψις methodica?*

Triples: Ellipsis, Redundantia, Inversio.

### *Quid est Ellipsis methodica?*

Est affectio methodi, qua homogenea quædam rejiciuntur, ut definitionum, partitionum, transitionum lumina.

### *Quid est Redundantia methodica?*

Qua assumuntur heterogenea quædam : estque duplex, ἑτερολογία & ταυτολογία. Heterogenia vocatur à Rhetoribus digressio, ab Aristotele ἐπιπόδιον, id est, adventitium jucundum, que acroama. Tautologia vocatur à Rhetoribus commoratio in re aliqua.

### *Quid est Inversio methodica?*

Qua rerum ordo initio invertitur : antecedentiaque nonnulla consequentibus postponuntur. Vocatur ὑπερολογία.

K 4 Nonne

## DE LOGICA.

*Nonne species methodi sunt, Analysis & Genesis?*

Aliud est præcepta artium tradere aut docere: aliud uti præceptis. In docendo una eaque naturalis methodus est à generalibus ad specialia, ut diximus. At in utendo præceptis duplex via est, Analysis & Genesis. Non itaque methodi species sunt illa duo: Error à Medicis ortus est, qui talibus nugis occasionem præbuerunt.

## DE VSV LOGICÆ.

*Quotplex ergo est usus seu Exercitatio Logicæ?*

Duplex. Vna est in exploratione disputationis jam factæ, quæ Analysis dicitur. Altera in novæ effectione & compositione, quæ Genesis dicitur.

*Quenam sunt præcepta Analyseos?*

Analysis primò universum opus, quod explicandum suscepit, à capite retexet: quæstionem cernet, quæ differenti proposita est: argumenta quibus tractetur inspiciet: & ad loci, unde sumta sunt, legem naturamque referet: dispositionem postremò ad propositam regulam comparabit. Sic tria ordine sequuntur: Quæstio, Argumentum, Dispositio syllogismi & methodi.

*Quot-*

## DE LOGICA.

### *Quotuplex est Analysis?*

Duplex. Virtutum & vitiorum. Vt enim Analysis virtutes inventionis, dispositionisque: sic etiam vitia spectabit. Nam in explorandis propositis exemplis, non solum laudes cernendæ sunt, ut propria, perspicua, certa, vera, consentanea concedantur: sed etiam vitia notanda sunt. Itaque in inventione videndum est, ne non causæ ut causæ, non effecta ut effecta, eodemque modo in cæteris ponantur. In syllogismo, ne sit alienus, ne obscurus, ne ambiguus, ne inconstans. In methodo, ne omittantur definitiones & partitiones: ex hac enim confusione rerum immensa quædam obscuritas existit. Est etiam magni erroris, non eodem ordine prosequi partes quo proposueris: obest enim perspicuitati plurimum, cuius tamen causa ordo & dispositio laudatur.

### *Quot sunt genera vitiorum Logicorum, seu Elenchorum?*

Duo sunt: Vnum in verbis, alterum in rebus ipsis.

### *Quot sunt Elenchi seu sophismata verborum?*

Sex: Sophisma enim seu elenchus est aut ex homonymia, aut ex amphibolia, aut ex compositione & divisione, aut ex figura, aut ex accentu.

K 5

*Quid*

## D E L O G I C A.

### *Quid est elenchus ex Homonymia?*

Est elenchus ex ambiguitate unius vocis. Ex ambiguis autem oriri dissensiones, & falsas opiniones, monet vetus versiculus:

*Erroris genetrix est equivocatio semper.*

Vt: Brachium est corpus ex carne, ossibus, sanguine, venis, arteriis & nervis compositum.

At Deus habet brachium.

Deus ergo est corporeus.

Nego consequentiam: quia est elenchus ex homonymia. In propositione enim brachium propriè dicitur: in assumptione metaphoricè pro potentia & robore.

### *Quid est elenchus ex Amphibolia?*

Est elenchus ex errore syntaxeos & plurium verborum, ut: Ajo te Acacida Romanos vincere posse. Item Civitas Attica salva erit in muris ligneis. Item.

Κραῖς ἄλλω Δαβᾶς μεγάλῳ δρχῶ καλαύσῃ

*Cræsus Halym superans magnam pervertet opum vim.*

Veteres hæc vocabant ἐπαμφοτέρων, quæ in utramque partem intelligi possunt, & λοξία obliqua. Vnde & Apollo, qui eiusmodi obliquis elenchis homines falleret, λοξίας est appellatus.

### *Quid est Elenchus ex compositione & divisione?*

Cum jungimus ea, quæ erant dividenda,  
aut

## DE LOGICA.

aut dividimus quæ erant jungenda, ut:

Duo & tria sunt paria & imparia.

At quinque sunt duo & tria.

Quinque igitur sunt paria & imparia.

Hic elenchus compositionis est: at illic est divisionis:

Omnes sapientes Græciæ sunt septem.

At Solon & Periander sunt sapientes Græciæ.

Ergo Solon & Periander sunt septem.

### *Quid est Elenchus ex figura?*

Est elenchus, qui committitur ex depravatione aut mutatione casuum, generum, syncategorematum, id est, conjunctionum & præpositionum: item ex ἀκρολογία.

Vt: Caseus est nequam.

Tu es caseum.

Tu igitur es nequam.

Mus rodit caseum.

Mus est syllaba.

Ergo syllaba rodit caseum.

Quicquid non amisisti habes.

Cornua vel Cræsi divitias non amisisti.

Cornua igitur vel Cræsi divitias habes.

### *Quid est Elenchus ex accentu?*

Cum ambiguitas oritur ex accentu, diphthongis, gestu pronunciationis aut μεμῆσθ.  
Vt cum Henricus 7. Imp. arbiter Bononiæ esset electus inter duos Iureconsultos Lotharium & Azonem equi sponcione facta: iudicavisset-

## DE LOGICA.

vissetque merum imperium solius principis esse: jocus sparsus est, Lotharium equum tulisse, Azonem æquum dixisse.

### *Quinam sunt Elenchi ex rebus?*

Sicut superiores verborum Elenchi ex Grammatica oriuntur: ita hi elenchi rerum ex inventione & dispositione Logicæ descendunt. Suprà enim artis Logicæ virtutes, hîc verò contraria eidem vitia & sophismata traduntur.

### *Quot sunt igitur elenchi rerum?*

Quot suprà virtutes logicas habuimus: totidem contraria illis virtutibus vitia quoque sunt: Sed ab Aristotele & dialecticis Aristotelem secutis, quinque tantum tradita sunt. Non causa ut causa, fallacia accidentium seu adjunctorum, à dicto secūdum quid ad dictum simpliciter: inconsequens, petitio principii.

### *Quid est elenchus à causa non causa?*

Cum tenebræ oriuntur ex ignorantia causarum, aut cum decipimur prætextu alicuius causæ, quæ tamen re ipsa causa non est. Sic Zopyrus narrat à Dario sibi aures & nares mutilatas esse, & fingit se amicum fore Babylonis. Hac specie falliã capit Babyloniorum animos. Sic quoque apud Virgilium Sinon fallit Trojanos. Sic sæpè damnamus rerum usum propter abusum, ὃ μὴ αἴτιον αἰτιώμενοι.

*Quid*



## DE LOGICA.

*Quid est Elenchus accidentis vel  
adjuncti?*

Cum aut accidenti tribuimus quod substantiæ convenit, aut accidentia non rectè jungimus: aut ab eo quod est per accidens, ratiocinamur ad id quod per se est. Vt:

Quicquid emisti, comedisti.

Crudas carnes emisti.

Crudas igitur comedisti.

David est beatus.

At est adulter.

Adulteri ergo sunt beati.

*Quid est Elenchus à dicto secundum quid  
ad dictum simpliciter?*

Cum totum complectimur, ubi de parte tantum dicitur: aut cum signum in rem ipsam transfertur. Vt: Aethiops est albus dentibus. Ergo Aethiops est albus.

*Quid est Elenchus inconsequentis?*

Cum in secunda parte Logicæ, id est, in dispositione figurarum peccatur. Hactenus enim inventionis elenchi fuerunt, nunc elenchi consequentiæ sunt, quæ Græcis ἀνακόλαστα dicuntur, & ἀσυλλόγηται, Vt:

Omnis stella lucet.

Omnis Cometa lucet.

Ergo omnis Cometa est stella.

Hic syllogismus ἀνακόλαστος est: quia peccat in

## DE LOGICA.

eat in definitionem secundæ figuræ, qua requiritur, ut ex antecedente altera pars sit negata: at hîc utraque est affirmata.

Item: Baculus stat in angulo.

Ergo cœlum est rotundum.

Hæc sunt ἀσυλλόγητα: quia nullum hic medium est seu argumentum, quod conclusionis causam contineat: ut definitio syllogismi requirit.

### *Quid est petitio principii?*

Est nihil aliud quàm *παιδεία*, de qua supra in methodo. Est enim methodi vitium seu sophisma, quod & Nugatio & Cuculi cantus dicitur. Petitio principii dicitur etiam, cum incertum per incertum, ignotum per ignotius probamus: sed id magis inventio-  
nis est.



N O R I B E R G A,  
I N O F F I C I N A  
T Y P O G R A P H I C A  
G E R L A C H I A N A,

*Per*

P A V L V M K A V F M A N N V M.



A N N O

---

C I D I D X C I V.

INSTITUTION

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

GERMANY

1875

NO. 1234

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875


1875

1875

1875

1875





Johann Jung von Gella

Johann Jung


Johann Jorgensen von  
Halle.

AB 37 13  
h, 7

ULB Halle 3  
001 536 265  


VD 17 sb.






AB  
37







3

R H E T O R I C A,  
P O E T I C A,  
L O G I C A,  
D V S V M  
V D I O R V M I N  
E P I T O M E N R E -  
D A C T A E:  
P E R  
*Joan. Thomam Freigium.*



am gratia & privilegio Imperiali.  
N O R I B E R G A E.

c l o l o x c i v .